Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Abraham Calov

Mataeologia Papistica : e Concilio potissimum Tridentino & praecipuis Scriptoribus Pontificiis, luxta Propositionum Romano-Catholicarum In Colloquio Thoruniensi Exhibitarum, Ordinem proposita, & Testimoniis cum e Scriptura Sacra, tum e Romana Ecclesia, succincte confutata

Editio Tertia Propter Ecclesiae Praesentem Statum desiderata, & nunc iterum publicata, Wittebergae: Hake, 1698

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

KB NB 0079.1-3

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1027492746/phys_0002

Mecklenburg
Vorpommern

Nr. 51.

Praeparirt
04.

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1027492746/phys_0006
Mecklenburg
Vorpommern

MATÆOLOGIA PAPISTICA,

è Concilio potissimum Tridentino & præcipuis Scriptoribus Pontificiis, Juxta Propositionum Romano-Catholicarum

In Colloqvio Thorunensi

Exhibitarum, Ordinem proposita, & Testimoniis cùm è Scripturâ Sacrâ, tùm è Romanâ Ecclesiâ, succincte confutata,

per

ABRAHAM CALOVIUM,

SS. Theol. Doct. Prof. Publ. Eccles. Witteb. Past. Consist. Adsess. & Circuli Electoral. Superint. Gener.

EDITIO TERTIA

Propter Ecclesiæ Præsentem Statum desiderata, & nunc iterum publicata,

ANNO M. DC. XCVIII.

WITTEBERGÆ,

SUMPTU, ET TYPO JOH. HAKEN.

Regional-bibliothek Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0007

Mecklenburg Vorpommern

Per-Illustri ac Generosissimo Dno.

DN. SIGISMUNDO

Güldenstern /

Lib. Baron. in Lundholm / & Juglewick etc. S. R. M. Polon. Camerario intimo, Capit. Stumensi, Hæredit. in Grünefeld / &c.

Dn Gratiosissimo.

Viris item Magnifico, Nobilissimis, Amplissimisque,

DN. ADRIANO

von der Linde /

Præ-Consuli laudatissimo, Illustr. Reipubl. Gedan. Præsidi eminentissimo.

DN. FRIDERICO

Elert /

Consuli Spectatissimo.

Dn. Patronis, & Fautoribus honoratissimis

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0008
Mecklenburg Vorpommern

S. P.

Per-Illustris, & Generosiss.

Dn. Dn. Gratiosissime, Magnif. Nobiliss. Amplissimiq; Viri, Dn. & Patroni honoratissimi.

SAtisfacturus votis ac desideriis Studiosorum S Theologiæ, fidei nostræ commissorũ, exhibeo Brevem & Synopticam Doctrinæ Romano-Catholicae considerationem, Sectionibus IV. Controversiis LXVII. expeditam. Plurimas, non diffiteor, qvæstiones, data operâ, præterii. Et qvis omnia, ac singula, non dicam, ad veritatis trutinam expendere, sed percensendo saltem proponere potest, qvæ atro carbone notanda veniunt é Scriptis Pontificiorum? Qvanta verò eorum seges, qvæ vix ac ne vix qvidem confutationem merentur? Qvalia sunt apertè impia, in Verbum Dei, Deum, & Christum injuriosa plurima, innumera penè vana, & superstitiosa, multa item scelesta, & scandolosa, infinita prorsus otiosa, & spinosa, nec pauca manifestè erronea, absurda, & portentosa, qvæ tradita, et propugnata leguntur in Romanâ Ecclesiâ. Juvat de singulis qvædam delibare, ut pâteat, non immerito talia hic prætermissa. Ad

Heskinsi de Calefrat. Judicium de Carol. Cant.

Ad *primam* seriem, quà *impia, & in Deum injuriosa*, pertinet, quod *Heskinsus* (a) de libro Ecclesiasticis scribat, *turpiter autorē præclaro dono illo Dei, sapientiâ abuti*, de Cantico Cantic. *Autorem*, quòd *ad petulantiam potiùs provocet, quàm ad pietatis ædificationem* vergat. Quod *Erasmus* (b) *Evangelistas memoria lapsos*, Cardin. *Piggius* (c) *potuisse eos memoriâ labi, & mentiri*, Gord. Huntleus (d) *S. Lucam ex discipulorum saltem relatione scripsisse*, Card. Cajetanus (e) *Lucam in genealogiâ Christi superfluam generationem adjecisse*, Melchior Canus Episcop. (f) *Stephanum memoriâ lapsum esse*, scripserint; Quod Chassan. (g) *asserat, Spiritum Sanctum ad sinistram Patris sedere*; Quod Durandus, aliique notante Svaretzio (h) statuant *non repugnare, Deum peccare per assumptam Naturam*; Quod Salmero (i) cum Scholasticis quibusdam *Christo justitiam originalem deroget*; Quod Durand9, fatente Svarez, (k) asserat, *in appetitu Christi sensitivo fomitem fuisse peccati*; Qvod Anglo Rhemenses (l) doceant, *Christum egisse pœnitentiam jejuniis, vivendo in deserto*, & Gretserus (m) *Christum operа pœnitentiæ, & inter ea flagellationem spontaneam suscepisse, ac disciplinam fecisse*; Quod *ex Scholasticis Theologis non pauci, neque ignobiles*, dicente Vasquez, (n) asseruêre, *Christi satisfactionem non esse simpliciter condignam*, utpote Durandus, Scotus, Gabriel, Almain, Medina, quod *negarint*, agnoscente Svaretz. (o) *infinitū satisfactionis Christi thesaurū*. Quod Gregorius de Valent. (p) inficiatus sit, *Christum pro nobis legem adimplevisse, ac proinde in Christo nos legi satisfacere*. Quod quidam, notante Wicelio (q) verba Domini, *non est bonum hominem esse solum*, sic perverterit; *non*

(a) Libr. Comment. Parlam. 1. c. 2. Ann. 1566. (b) annotat. ad 2. & 27. c. Matth. (c) l. 1. Hierarch. c. 2. p. 8. (d) contr. 2. n. 5. p. 190. (e) V. Sixt. Senens. l. 6. Bibl. 5. ann. 146. (f) L. 2. loc. c. ult. [g] in Catal. glor. mund. p. 3. consid. 3. (h) t. 1. Com. in Thom. p. 3. disp. 24. sect. 2. [i] Disp. 50 in Ep. ad Rom. (k) loc. cit. (l) in ann. Marc. 2. p. 6. (m) in Agonist. p. 48. 50. (n) in 3. Thom. disp. 5. (o) tom. 1. in Thom. 3. disp. 4. s. 4. f. 48. (p) vol. 1. oper. Theo. s. 5. l. de div. orat. p. 4. c. 1. p. 196. (q) Compend. de semit. antiq.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0010
Mecklenburg Vorpommern

non sufficit unus Advocatus, & Mediator, humano generi in cœlo, faciamus ei adjutorium, i. e. B. Virginem; Quod Turſellinus [r] *Franciſcum exutà tunicâ, laceroq; cuculło, Chriſtum fore, & Chriſtum indutis Franciſci exuviis Franciſcum fore, blaſphemè finxerit*; Quod profiteantur (s) *propter unam Miſſam B. Franciſci placatum fuiſſe Deum pro toto mundo*, & in Floſcul. S. Franciſci (t) pronuncient, *eos viros duntaxat fuiſſe redemtos ſanguine Chriſti, qui vixerant usq; ad tempora S. Franciſci, reliquos verò, qui conſecuti ſunt, redemtos fuiſſe S. Franciſci ſanguine:* (cui ſcripto dum Petr. Paul. Verger. librum opponeret contrarium, damnatus eſt ille decreto Pauli III.) [u] Quod aſſeverent (x) *velocius nonunquam in periculis ſalutem eſſe, memorato nomine Mariæ, quàm invocato nomine Chriſti*; Quod tali abſolutionis formâ uti conſveverint, [quam *D. Urban. Rheg.* utili Commentario illuſtravit) *meritum Paſſionis D. N. I. C. & B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, meritum Ordinis, gravamen religionis, humilitas confeſſionis, contritio cordis, bona opera, quæ feciſti, & facies, pro amore D. N. I. C. cedant tibi in augmentum meriti, & gratiæ, & in præmium vitæ æternæ.* Quod Sanchiez (y) pronunciet, *jurare licere per Virginitatem Mariæ*, Quod Fab. Incarnatus (z) cum aliis (aa) Baptiſmum probet, ſi dicatur, *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, SS. & B. Mariæ:* Quod Petr. Vald. (bb) *Ignatium ſuo nomine chartæ inſcripto plura miracula, quàm Moſen, nec pauciora, quàm Apoſtolos edidiſſe, dixerit:* & quæ hujus furfuris ſunt alia paſſivitus obvia, ad quorum ſolam relationem obſtupeſcunt aures, mentesq; verè Catholicorum.

Secun-

(r) apud Poſſev. in Bibl. ſel. c. 17. (s) in libr. Conformitat. Franciſc. f. 64. [t] Vid. Wolf. Cent. 13. lect. memor. p. 512. (u) Wolf. ibid, (x) theſaur. præcon. Mar. c. 52. (y) L. 2. oper. moral. c. 32. n. 32. (z) in Scrutin. Sac. tr. 2. p. 1. (aa) Libr. Nov. Sacerd. p. 25. (bb) Concion. in feſt. Ignat. habit. p. 54.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0011
Mecklenburg Vorpommern

Secundum ordinem instruunt vana, & superstitiosa, cujusmodi sunt de *efficaciâ aquæ lustralis*, quòd *deleat venialia peccata*, *fuget Dæmones*, *curet morbos*, ut cum jure Canonico (cc) contendit Bellarminus [dd] & Costerus (ee), de quo tamen *nullum haberi promissum* fatetur Alph. à Castr. [ff] de *efficaciâ signi crucis*, quod *terrere, & fugare Dæmonem*, *pellere morbos, & omnia mala*, *sanctificare ea*, *quibus imprimitur*, ait Bellarm. [gg] de *imagine agni Dei*, de quâ versus extant Urbani V. in Carm. Rom. Marcell. Concyr. Archi-Episc. (hh).

Fulgura desursum depellit, & omne malignum,
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit;
de reliquiis collo appensis, cum spe, quod fortè Deus miserebitur, secundum Salmeron. (ii) de *inunctione Chrismatis in consecratione templorum*, apud Durand. [kk] de *Baptisatione campanarum* [ll] *cum hoc effectu*, *ut sint immunes à potestate Satanæ*, *& terreant Dæmones*, secundum Discip. de Tempor. (*mm*) & Bajerlinck, [*nn*[quibus *lamias etiam impediri* nonnulli credunt, *quo minus huc illuc per aerem ferri queant*, *de benedictione cineris*, *herbarum &c.* (*oo*) *de processionibus cum sanctorum reliquiis*, (*quorum ritu Diis potius gentium*, *quam Christo eos gratum officium facere*, profitetur Polydor. Vergil. (*pp*) *quod aqua in Baptismo adhibenda*, *priùs paranda*, *& addito mysticæ benedictionis oleo*, *consecranda sit*, *idq; non nisi in vigiliis Paschæ*, *& Pentecostes*, *ut* definitur in Catechis. Rom.

(qq)

(cc) aqvam sale dist. 3. de consec. (dd) l. 3. de cultu Sanct. c. 7. (ee) L. de Sod Mar. (ff) l. 2. adv. hæres. voc Aqva hær. 2. (gg) l. 2. de imag. sanctor. c. 30. [hh] Libr. 1. tit. 7. V. & Orat. Joh. Molan. de agn. Dei. (ii) T. 4. Comm. in Histor. Evang. p. 3. tr. 32. p. 614. (kk) l. 1. ration. c. 6. (ll) Vid. Pontif. Rom. ut & Durand. de rit. Eccles. l. 1. c. 22. n. 10. (mm) serm. 12. [nn] Concion. select. 44. p. 800. (oo) Durand. l. 6. Ration. c. 28. (pp) l. 6. de rer. invent. c. 6.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0012
Mecklenburg Vorpommern

(qq)(*quâ consecratio, etiamsi nuspiam divinitùs præcepta sit, mortaliter tamen eos peccare censet* Toletus, (rr) *qui in aquâ benedictâ non baptizant*) Quod *salgustandum præberi debeat, & tangendas sint aures & nares salivâ, additâ voce Ephata in Baptismo*, [ss] de *calicis Eucharistici certis ritibo consecratione* [tt] De *purgationis ritu per* usum S. Euchar. (uu) De *Monachali cuculâ, quæ creditur plenam dare remissionem peccatorum*, (xx) Et quæ hisce gemina alia innumera occurrunt, (præprimis iu superstitiosis *Regulis Monasticis*, & id genus aliis!, quæ pleraque etiam cum impietate, ac prophanatione nominis divini, conjuncta sunt.

Tertia classis concernit *scelesta, & scandalosa dogmata*, quorum maxima farrago, vel è solis *Casistis, & instructionibus Sacerdotum* colligi posset. Qualia sunt, Biel (yy) doceat, *non teneri hominem actualiter summè diligere Deum, quoties de Deo cogitat, sed sufficere dilectionem habitualem*, & Molan. [zz] *de honestate esse, non de necessitate, ut Deum super omnia semper diligamus*, quod & Toletus (a) pronunciet; *quantum ad intentionem, quæ consistit in fervore, & vehementiâ ipsius actus, non teneri nos sub præcepto, Deum plus diligere omnibus.* Quod *Pontifex* secundum Azorium (b) *possit seipsum solvere à voto, & jurisjurandi religione, quodque aliorum juramenta quoque possit relaxare*; Quod secundum Tolet. Cardinal. (c) *teneatur homo sub mortali peccato ad Sabbathum sanctificandum, sed non teneatur ad benè sanctificandum*: quo dque *sabbatho liceat studere super lites, & animalia occidere &c. propter pecu-*

(qq) p. 308. (rr) l. 2. de cas. conf. c. 18. [ss] Bellarm. l. de Bapt. c. 25. (tt) Vid. Pontif. R. [uu] c. sæpe contingit 23. caus. 2. q. 3. [xx] Bernh in Rosa. [yy] l. 1. sent. dist. 1. q. 8. art. 3. (zz) l. de pract. Th. tr. 3. c. 16. concl. 1. n. 11. (a) l. 4. de Instr. Sacerd. c. 9. Conf. Bellarm. p. 2. de Mon. c. 13. [b] l. 5. Inst. mor. c. 15. p. 5. 17. & l. 10. c. 9. (c) l. c. c. 25.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0013
Mecklenburg Vorpommern

pecuniam (d) itemque *Missâ saltem auditâ dies festos in ludis, vel vagando consumere.* [e] Quod cum Concil. Trident. (f) statuant, *posse matrimonia iniri sine consensu parentum,* (g) [*contra quas tamen nuptias mundum, & cœlum, & totam machinam literatorum clamare, ait Cassanæus,* (h) Quod *filius non teneatur in statu vitæ mutando parentibus obedire,* i) Quod *subditos à vinculo fidelitatis, & juramento liberari asserant, si Magistratus inciderit in excommunicationem,* (k) Quod decernant, *cum homo propter verbum contumeliosum non ex plenâ deliberatione, vel si adsit plena deliberatio, tamen sit inter personas parvi momenti, ut inter mulierculas, non esse peccatum mortale,* [l] nec, *si homo ira, vel alia passione motus non advertat, verba, quæ protulit, blasphemiam esse.* (m) nec, *qui motu repentino correptus aliquem occiderit.* [n] *non præcipi nobis à Deo, ut pro inimicis oremus,* o) *velut amicè, & benevolo animo salutemus eosdem.* [p] Quod *reis in causa civili, & criminali, si ad templum confugerint, impunitatem concedant,* (q) item *homicidis, si Cardinali obviam facti ejus pileum, aut vestem attigerint, aut in Sacerdotem, hostiam gestantem, inciderint,* [r] *&c.* Quod *Communio uxorum approbetur* in jure Canonico, [s] *concubinæ permittantur* (t) *adulteria numerentur inter minima crimina,* (u) *negetur, jure naturæ & divino, prohibitam esse uxorum pluralitatem* (x) *concedatur viro, muliere infirmitate corrupta, aliam ducere,* (y) *stabiliatur dispensatio in gradibus jure divino prohibitis,* (z) *adeoq.* confir-

(*d*) l. c. c. 25. (*e*) Petr. Givara in Aphorism. (*f*) sess. 24. de Matr. c. 19. (*g*) Tolet. l. 5. Instruct. c. 1. (*h*) in catal. glor. mund part. ult. c. 25. (*i*) Tol. l. (*k*) idem l. c. c 13. (*l*) id e. l. 5. c. 9. (*m*) Id. l. 5. c. 6. [*n*] l. 4. c. 13. (*o*) Molan, l. 5. c. 18. concl. 3. n. 19. (*p*) Idem c. 16. concl. 3. n 22. (*q*) Jacob. de Graff. decis. cas. consc. T. 1. l. 2. c. 48. art. 3. (*r*) Anast. German. in Script de Sacerd. immun. l. 3. c. 6. art. 51. 52. (*f*) c. dilectissimis 22. q. 1. (*t*) Is qvi dist. 34. (*u*) c. si Clerici Extra de judiciis (*x*) Cajet. in comm. sup. N. T. p. 196. (*y*) c. qvod propositi causf 32. q. 7. [*z*] Concil Trid. sess. 24. Can. 3.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0014
Mecklenburg Vorpommern

confirmentur incestus, tolerentur lupanaria,(aa) *admittatur cohabitatio Sacerdotum cum faeminis* (*extra conjugium*)(hh) magisque prohibeatur *in Episcopo bigamia, quàm adulteria, & concubinatus.* (cc) Commendetur denique *Sodomia, ceu ars singularis, & bonum opus, imo divinum,* quod à Joh. de la Casâ Episc. Beneventano peculiari opere factum. Quod insuper definiant, *pauperes non facere furtum, cum pressi extrema necessitate rem alienam rapiant,* [dd] ac permittant, *corruptas merces pro veris vendi fallaciter.* [ee] Quod doceant, *uti aliquando licere æquivocatione, & decipere audientem; si crimen est occultum, ait* Card. Toletus, (gg) non *debet quis jurare; si cogatur, debet uti æquivocatione, puta nescio, intelligendo intra se, ut dicam tibi, vel non feci, intelligendo, nunc non feci;* Quod contendant, *sigillum confessionis nequaquam resignandum esse, quamvis ageretur totius orbis salus, aut ipsius pœnitentiæ utilitas, nec pro vitando ullo gravissimo damno innocentis, aut* qvod esset totius orbis conflagratio, aut perversio religionis, & *omnium Sacramentorum intenta demolitio.* [hh] Quod statuant, *non peccare judicem, si damnet aliquem secundum legem, licet ipse sciat, eum esse innocentem, quam communiorem & veriorem esse* Toletus ait. (ii) Quod judicent, *multas cogitationes contra fidem, & imaginationes impuras non esse peccata,* (kk) item, *desiderari posse corporis impuritatem, absq; peccato, ob bonum finem sc. sanitatem, vel ad levandas carnis tentationes.* qvod *peccatum originis extenuent,* [ll] *pœnitentiam omnibus hominibus necessariam esse negent,* [mm] statuant-

(aa) Mart. Azpilcuet in Manual. c. 17. n. 195. p. 433 Conf. Bell. l. 2. de amiss. grat. c. 5. (bb) Tolet. l. 4. c. 16. (cc) Bell. l. 1. de Cler. c. 24. (dd) Joh. Maldon. in summ. q. 8. art. 3. [ee] Tolet. l. de sept. pecc. c. 49. p. 744. (ff) Tolet. l. 4. Instr. c. 21. (gg) l. c. c. 22. (hh) Henr. Henriqv. in summ. Theol. moral. de pœnit. Sacr. l. 3. c. 19 §. 1. (ii) Molan. Theol. pract. tr. 5. c. 27. (kk) Tolet. l. 5. c. 1. (ll) Pigg. cont. 1. de peccato orig. [mm] Bell. l. 1. de pœnit. c. 19. prop. 4. l. 2. c. 9.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0015
Mecklenburg Vorpommern

qve *benedictionem Episcopi, Orationem Dominicam, tunsionem pectoris, aqvam benedictam, & similia sine qvocunqve alio bono motu sufficere ad venialia remittenda peccata.* [nn] Quod doceant, *non omnia legis præcepta esse obligatoria, sed tantum doctrinalia,* (oo) Pontificem *contra Decalogi præcepta dispensare posse* (pp) qvod *omne factum sanctissimi Patris interpretari debeamus in bonum, & siqvidem fecerit furtum, vel aliud ex se malum, interpretari debeamus, qvod ex divino institutofiat;* [qq] cujus generis non sexcenta tantum alia, sed vel sex millia produci possunt, qvæ non absqve offendiculo traduntur in Papatu.

Qvartum genus, *otiosa & spinosa* ζητήματα concernens, *à Sententionariis, Summulistis Quæstionariis Qvodlibetariis, Thomistis, Scotistis, Occamistis,* aliisqve etiam recentioribus, *Jesuitis* &c. invectum, qvi de rebus sacris infinitas disputationes movent, qvales v. c. sunt de *characterizationibus, relationibus, congruentiis &c. an baptizari qvis possit terra, vel aëre? an asinus biberet Baptismum, si aqvam consecratam biberet, an DEus potuerit sibi supposita re lapidem, vel asinum? si canis, vel porcus, hostiam voraverit, vel mus arroserit, qvidnam vorent, vel arrodant? num corpus Domini in ventre muris, in muscipula adorandum sit, an mus exenterandus, num verò à Sacerdote devorandus,* (rr) & qvæ innumeræ aliæ *ejusmodi febriculosæ, & monstrosæ ineptiæ,* in scriptis illis leguntur, ne *recensione* quidem, nedum *confutatione* dignæ, solum detestatione, & deploratione.

Qvinto indigitavimus loco *dogmata manifeste absurda, & portentosa,* cujusmodi sunt de *Potestate Pontificis condendi no-*

(nn) Franc. à Victor. sum. sacr. pœnitent. 100. p. 63. (oo) Bell. l. 5. de amiss. grat. c. 10. Greg de Valent. l. 3. de Vot. c. 3. (pp) Joh. Bertach. in repert. P. 4. (qq) Johan. de Paris. de potest. Reg. & Pap. (rr) V. mus exenterat. Hold. & D. Meisn. differtat. de Schol. disp. ration. ut & tractat. nostr. de method. p. 399.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0016
Mecklenburg Vorpommern

di novos articulos fidei, [ff] tantum præstare sacerdotem Regi, quantum homo Bestiæ, (tt) Laicos vix pro seipsis orare posse, nedum pro aliis, [uu] preces Deo gratas esse, etiam non intellectas, (xx) asinum adorari posse, [yy] panitentiam per alium impleri posse, (zz) Instrumenta satisfactionis esse cilicium, vestitum monasticum, tonsuram &c. [a] meretricem ducentes veniam peccatorum mereri, [b] Clericos non debere interesse nuptiis, [c] non dari præsentiam S. S. eo tempore, quo actus conjugales geruntur, [d] conjugium adversari Orationi, [e] sanctos defunctos vivere quoad corpora, [f] peccare in S. S. qui templum ædificet, in quo adoretur, fronte versô Occidentem conversa, [g] obedientiam irrationalem esse perfectissimam obedientiam, [h] animalia terrestria plus habere maledictionis, quam aquatilia, [i] quia plus nutriuntur terrâ, quæ maledicta fuit, ut silentio jam involvam *commenta fabulosa, & magnam partem monstrosa*, quæ tanto numero foventur, ut aliquot librorum plaustra iisdem implere liceat, quorum nonnulla *alibi* produximus, [k] è quibus de cæteris potest fieri judicium. Plura *è legendis aureis, Revelationibus Brigittæ, & similibus scriptis*, quorum fidem sacram habent Papistæ [*quum neque legendas sanctorum Apocryphas* dici ferant, [l] & approbatæ sint *revelationes istæ Brigittæ*, accedente *Bulla Canonizationis Bonif. IX & Martin. V.* [m] citrà labo-

rem

(ff) Bulla Leon. cont. Luth. art. 26. (tt) Stanisl. Orichov. in chim. fol. 97 (uu) c. Hanc consvetud. caus. 9. q. 1. (xx) Bell. l. 1 de V. D. cap. 16 Lancellott. in hæretico. Quare 10 f. 5 (yy) Vid. Gretser. l. 1. de cruce c. 49. (zz) Tolet. l. 3. Instr. c. 11. (a) Gretser. in Virgidē. p. 159 (b) Inst. jur. Can. l. 2. t. 12. quæ matrim. imp. §. quia potius. (c) c. presbyter dist. 34. (d) c. quicquid caus. 32. q. 2. (e) c. Scatis 1 caus. 23. q. 2. (f) Nihus de invoc. Sanctor. c. 2. q. 2. arg. 2. (g) Host. l. 4. de trad. p. 614. (h) Card. Cusanus Excitat. l. 6. (i) Rhenat. Laurent. annot. ad Tertul. l. contr. Marcion. c. 14. (k) præfat. in Examen ætiologias M. Joh. Kircheri. (l) V. index expurg. gen. inquisit. Hisp. p. 6. (m) V. revelat. Brigit. edit. Lubec. an 1492. cum approbat. de Turrecrem & Bullis P. R.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0017
Mecklenburg Vorpommern

rem colligi possunt, documenta certissima fatalis cæcitatis qvale utique illud est, qvod ubiqve (n)legitur, tametsi & ab *Lud. Gran.* (o) & ab *Henrico Henriqvez* [p] adstruatur, editâqve autoritate summi Pontificis, *Apologia Alphonsi Cicaonii Dominic.* vindicetur, qvin & *à Salmer.* judicetur *toto Oriente & Occidente germanum; & irrefutabile miraculum esse,* [q] qvod nempe *fingitur de anima Trajani precibus Gregorii I. ex inferno liberata, & in cœlum traducta, ita tamen, ut Papa invicem cruciatuum Trogano sustinendorum perpetuos podagræ dolores invita sentiret*: quâ in parte vel ipsorum Papistarum *Episcopi Canarienses*, [r] *& Cardinalium Bellarmini*, [s] *ac Baronii* [t] judicio nos stare non dubitamus. Idem a, omninò de similibus est, & esse debet judicium.

Atqve hinc ultrò constare arbitror, cur ist hæc omnia prætermittenda duxerimus in hoc *Mataologiæ Papisticæ examine*, qvæ aut digna non erant discussione, aut consensu etiam destituebantur communi *Romano-Catholicorum*, qvin & reprobata videbantur pleraqve *à sanioribus Pontificiis*. Major fortassis ratio erat, eos persequendi errores, qvos de *Personâ Christi, de Prædestinationis decreto, &c.* cum *Calvinianis* communes habent, qvosve cum *Socinistis propugnant, de nominibus divinis Jehovah, & Elohim, de Christo mediatore tantum ut homine, de intercessione Christi in Cœlis*: Sed qvia nec illi communi Ecclesiæ Romano-Catholicæ decreto, vel Concilio aliqvo, ipsis Oecumenico, sanciti deprehenduntur, singuliqvè commodius illic, unde in Papismum redundarunt, expendi possunt, placuit eos heic [ubi propositum maximè, *proprias Papistarum Controversias* expendere, *ipsarumque Romano Catholicorum Propositionum*

(n) in Revel. Br. & aur. legend. in vit Greg. c. 8. (o) Lud. Granat. Domin. XI. post Trin. hom. 1. (p) in summ. l. 9. c. c. 16. (q) in 1. Cor. 15 disp XIV. (r) Melch. Can. l. 11. Loc. c. 2. (s) libr. 2. l. de purgat. c. 9. (t) in annalibus.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0018
Mecklenburg Vorpommern

num ductum, quoad instituti Elenchi ratio permittebat, sequi] sicco pede præterire, suoque loco reservare; in quibꝰ omnibus denique non instituto modo velificandum, sed tempori qvoqve ac Studiosorum votis, commodisqve serviendum fuit.

In hisce autem *primariis*, ac *potioribus Mataeologias Romanæ Ecclesiæ propriæ erroribus, & proponendis, & confudandis* id operam dedimus, ut *primitus* rectè exprimeretur *qvæstio, in qva versatur propria, ac indubitata Controversia*; Ubi *multis distinctionum meandris* opus non fuit, qvum in plerisqve liqvido satis sese proderet *antithesis*: & longè tutius, ac consultius erat, propriis partis adversæ verbis statum definire, ubicunqve id licebat, ne aliena mens ipsi affingi crederetur. Placuit autem *principium liqvidationis Romano-Catholicæ* illud, qvod ipsis est *instar omnium*, nimirum *Concilium Tridentinum, cujus vocem Ecclesiæ Catholicæ vocem omnes salutare*, (u) qvod *ut Magistram in omnibus Romano-Catholicos sequi*, [x], *omnesqve sua ingenia, atqve judicia sponte ei submittere*, (y) & *qvi ei non obediunt, inter Catholicos non numerari profitetur Card. Bellarminus*: [z] Vbi verò illud sententiam

(u) Bell. l. 5. de grat. & liber. arb. c. 13. (x) l. 1. de Justif. c. 3. (y) l. 3. c. 3. z) l. 4. de amiss. grat. c. 15.

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0019
Mecklenburg Vorpommern

non dixerat, audiendi erant *alii*, sed non tam ut *suam propriam*, qvàm ut *communem omnium*, aut certè (qvod in qvibusdam sententiis accidit) *plerorumqve, vel potiorum* proferrent mentem, iiqve non obscuri, sed *præcipui nominis*, cumprimis *Bellarm. Cardinalis*, *qvem ceu fidei hyperaspisten, & hæresium stratorem, cujus opus, ceu veritatis Catholicæ murum, & antemurale* veneratur *Cornel. à Lapide*, [a] aliiqve. Porrò *Confirmatio fidei nostræ Catholicæ*, vel *Confutatio acatholicæ Papistarum doctrinæ*, coercenda itidem erat intra metas Synopseos; ideoqve media, & fontes *probationum* potiùs indicavimus, qvàm, prout in proclivi erat, vindicavimus. Qvæ qvidem *duplicis generis* hic desiderabantur: è *Scriptura πρώτως*, ubi *pleraqve documenta probationum* adduximus, subjunctâ etiam qvandoqve *brevi assertione*; *Aurilqve*, è *Romana Ecclesia*, è qva *selectiora suffragia* non tàm eorũ, qvos illa *seqvioribus seculis* potissimùm damnare ausa fuit, *in propria causa judicis sibi partes sumens*, qvàm qvi & in *communione externa* Romanæ Ecclesiæ permanserunt, nec ab illa publicè condemnati, sed magnam partem pro Catholicis habiti, laudatiqve sunt.

Hæc

(a) Corn. à Lapide in Encom. Script. comment. in Pentatevch. præfix. n. 38.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0020
Mecklenburg Vorpommern

Hæc autem ut illustrissimo Tuo consecrarem Nomini, *Perillustris Heros*, reqvirebat cùm singularis Gratia, qvâ Verbi Doctores constantes amplecteris, tùm Amor, & Zelus ille *Regio sanguine* dignus, qvo ergà cœlestis veritatis depositum Te ferri reapse, nec absqve summo Spiritus deprehendi tripudio, cum S. R. M. Te præ aliis *in Colloqvio Charitativo Thorunienſi* Parti nostræ Directorem supremum dedisset, summasqve in Te virtutes REGIA etiam autoritas confirmasset, munere concredito Amplissimo; Cui qvantâ pietate, qvàm religiosâ fide, ac sinceritate, qvàm indefessâ curâ, & solicitudine *Præses Regio* præfueris, nec explicare paucis valeo, nec Tua id permittit virtus: Nunqvam tamen animo intermittam venerari, nec tacere debet sera posteritas; *Mearum certè partium duxi, hac occasione non tam debito ista celebrare præconio, cui me imparem agnosco, qvàm publicæ gratiarum actione officio, qvomodocunqve defungi, animumqve testari devotissimum.*

Vestra qvoqve haud silere debui Nomina, *Magnifice Dn. Nobilissimi Dn. Patroni Dn. Præses, qvi Reipublicæ hujo Illustri nomine* perarduo illi Religionis Negotio præesse haud gravati, publice vestram cùm *in moderamine Ecclesiastico, Politico insignem prudentiam*, tùm in *Fidei Professione*, & adversus falsos

falsos fratres non minus, qvàm aperte dissidentes antagonistas propugnatione, *laudatissimam constantiam*; utramqve cedro, & æternitate dignissimam, illustri demonstrastis specimine: ut Privatas, easqve haud exigui momenti consecrationis causas, virtutesqve vestras præclaras grato jam venerer silentio. Accipite ergò testem animi gratissimi, precum vadem certissimum; meqve ulteriori gratiâ ne dedigneris respicere, *Dn. Gratiosissime*, nec benevolentiam pristinam deinceps mihi denegate, *Patroni Honoratissimi*. Sic foveat, sospitetqve omnigenâ ditatos felicitate ipsa Salus Nostra, TE, *Heros Generosissime*, REGI, Domuiq; Illustrisimæ, Vos, *Patroni Amplissimi*, Reipublicæ, familiisqve Nobilisimis!

Dantisci IIX. Augusti
cIↃ IↃC XLVII.

V. Per-Illustris Generos. humil.
V. Nobil. Amplit. observant.

ABRAH. CALOVIUS, D.

I. N. J.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0022
Mecklenburg Vorpommern

I. N. J.

D. ABRAHAM CALOVI, P. P.

& Superint. Sax. Elect. General.

MATÆOLOGIÆ PAPISTICÆ, JUXTA ORDINEM PROPOSITIONUM ROMANO-CATHOLICARUM,

In Colloquio Thorunienſi Anno 1645. exhibitarum,

Succinctè confutatæ,

SECTIO PRIMA,

DE REGULA CREDENDI,

CONTROVERSIA PRIMA:

An præter Verbum DEI ſcriptum detur qvoddam Verbum DEI non-ſcriptum, pari pietatis affectu ſuſcipiendum?

CONcil. Trid. Ses. 4. *Veritatem divinam contineri, ait, in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, qvæ ipſius Chriſti ore, ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu S. dictante, qvaſi per manus traditæ, ad nos uſq; pervenerint,* easque traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, *tanqvam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto, dictatas, & continuâ ſucceſſione in Eccleſiâ Catholicâ conſervatas, pari pietatis affectu ſuſcipit ac veneratur, cum ipſis libris V. & N. Teſtamenti.*

Qvod autem nullæ ejusmodi traditiones, qvæ ceu Verbum

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0023
Mecklenburg Vorpommern

DEI infallibile præter Scripturam Sacram acceptandæ sint in Ecclesiâ, patet:

I. Qvia nullo documento è Scripturis probari possunt, neqve Generali, neqve Speciali. Non *generali*, qvia nusquam ad traditiones remittimur, sed tantum ad *legem, & testimonium, Es. 8. 20. ad Mosen, & ad Prophetas, Luc. 16. v. 29. ad fundamentum Prophetarum, & Apostolorum, Eph. 2. v. 20. ad Scripturam θεόπνευστον, 2. Tim. 3. v. 16.* Nec *Speciali*, qvia, si hæc, vel illa traditio specialiter in Scripturis proposita foret, non esset ea Verbum DEI non scriptum, sed scriptum. Contradictionem enim implicat, in Scripturis contineri traditionem non scriptam.

II. Qvod pari pietatis affectu cum Verbo DEI scripto est suscipiendum, de eo pariter, ut de Scripturâ, *infallibiliter constare oportet*, qvod sit ipsissimum Dei Verbum, ex ore Christi, vel etiam Apostolorum, immediato Spiritus S. afflatu profectum. At de nulla traditione id infallibiliter constare potest; qvia certitudo ejusmodi infallibilis, qvæ est *fidei divinæ*, non potest haberi è testimonio humano, sed unice è testimonio divino. Nullum autem de traditione ulla proferri potest divinum testimonium Qvæ ex uno alterove huc trahunt Ecclesiæ Doctore, ea nonnisi fidem humanam generant, uti autoritatis tantum sunt humanæ.

III. Si in Scripturis omnia creditu & observatu necessaria sufficienter, & perspicuè proposita sunt, utiqve nullum datur dogma, creditu, aut observatu necessarium, qvod sola constet traditione. At verum est prius, ut tùm *perfectio Scripturæ, Ps. 19. 5. Deut. 4. 2. c. 12. v. 32. 2. Tim. 3. v. 16.* tum *perspicuitas* evincit, *Deut. 30. v. 11. Ps. 19. v. 9. Ps. 119. 105. Prov. 9. 23. 2. Pet. 1. 19.* E & posterius.

IV. Nulla dogmata extra, & præter Scripturam fide divina suscipere debemus, *Gal. 1. v. 8.* Omnes Pontificiorum traditiones sunt dogmata extra, & præter Scripturam. E. nullas earum fide divinâ suscipere debemus.

V. Si in Scriptura proponitur *omne Dei consilium de salute*, utiq; nihil, ad salutem spectans, extra Scripturam traditum est.

At

At verum prius, *Act. 20. 27. c. 26. v. 22.* E. & posterius.

VI. Solas Scripturas *S.* ut infallibile Dei verbum, suscipiendas, profitentur nobiscum *Cyprianus* Epist. 3. ad Cæcilium, *August.* Ep. 29. ad Hieron. & Epist. 3. ad *Fortunatum. Hieron.* super Epist. Gal. 1. v. 8. *Jus canonicũ*, c. si is, qvi præst 11. qvæst. 3. *falsum testem, aut sacrilegium habendum esse decernens, qvi præter id, qvod in Scripturis Sacris dicitur, qvicqvam asserit in rebus fidei.*

VII. Stanisl. Hosius *Card.* referente *Vergerio* Dial. 1. contr. Hos. t. 1. oper. p. 140. *Primum locum tribuit scripto Evangelio, proximum, non autem eundem, traditionibus. Jacob. Nachiantes, Fossa Clodia Episcopus* professus est in ipso Concil. Trident. *sibi dura videri* verba illa, *pari pietatis affectu: Nihil enim esse, qvod cum Evangelio conferri qveat.* Idcircò à Legatis Pontif. jussus est Tridento discedere, ut perhibet *Verger.* Epist. ad Reg. Polon. fol. 119. *Jacob. Gretser traditiones, ait, non sunt paris autoritatis cum Scripturis. Tom. 1.* defens. Bellarm. l. 4. c. 42. p. 1528.

VIII. Qvod in specie ea, qvæ à Pontificiis, ceu traditiones, propugnantur, attinet, ea aut in *Verbo Dei scripto* proposita sunt, ut *S. S. Trinitas, ὁμοουσία. Filii Dei, Spiritus Sancti Deitas, Pedo baptismus, formula Baptismi*, ideoq; non constituunt aliqvod Verbum Dei *non scriptum:* aut Verbo Dei adversantur, ut *merita operum, invocatio Sanctorum, calibatus Sacerdotum, Purgatorium, &c.* ideoqve reprobanda, non recipienda sunt.

IX. Addimus deniqve Confessionem *Concilii Episcoporum*, Bononiæ Congregator, qvi ad Jul. III. ita scripsère: Planè *fatemur inter nos, qvod non possimus de traditionibus id, qvod tenemus, & docemus, probare, sed tantùm habemus conjecturas qvasdam, &c.*

CONTROVERSIA SECUNDA.

An Scripturæ Sacræ autoritas, respectu nostri, ut agnoscatur, & recipiatur ceu divina, dependeat ab Ecclesiæ testificatione, sive unicè, vel etiam saltem præcipue?

Affirmativam tuentur Pontificii. Quidam cum *Scoto, Bielo, Durando*, statuunt Ecclesiæ autoritatem *supremam credendarum rationem esse, & propter Ecclesiæ autoritatem* Scripturæ credendi, ut *Andradius, Huntlæus*; Alii Scripturas *absq; autoritate Ecclesiæ non esse authenticas* asserunt, *ut Eccius, Caranza, Stapletonq, Pistorius. Non aliunde nos habere, Scripturam esse divinam, & quinam libri sint sacri, quam ex traditione non scriptâ, contendit Bellarm. l. 4. de Verbo DEI. c. 4.*

Nos negativam amplectimur, ob sequentes prægnantes rationes:

I. Quia Ecclesiam esse, & quænam sit vera Ecclesia, eamque errare non posse, è solâ Scripturâ discendum; quod & è Scripturis unicè probant adversarii. Autoritas ergo Ecclesiæ dependet à Scripturâ, non Scripturæ autoritas ab Ecclesiâ.

II. Quia autoritas Ecclesiæ humana tantum est, ideoq; Fidem divinam gignere non potest. Fidei causa, & principium, solus est Spiritus Sanctus, & Verbum DEI; Verbum Ecclesiæ, quà tale, Verbum DEI non est.

III. Quia alia dantur κριτήρια autoritatis Scripturæ divinæ, eaque longè potiora Ecclesiæ testificatione, utpote *Antiquitas, Veritas, Sublimitas, Sanctitas, Majestas, Efficacitas Scripturæ.* Quod si igitur Scriptura *in se, & per se*, eâ pollet Virtute, ut mentes nostras efficaciter moveat, & ad assensum permoveat, adeoq; propria efficaciâ autoritatem divinam sibi accendat, in mentibus hominum, utique autoritas Scripturæ, *quâ nos*, non dependebit unicè ab Ecclesiâ. At verum prius, *Ps. 19. 8. Joh. 6. v. 63. Rom. 1. v. 16 1. Cor. 1. 18. 2. Tim. 3. v. 15. Jac. 1. 21. Ebr. 4. 13.* E. & posterius.

IV. Quia agnita fuit Scripturæ autoritas, non cognita Ecclesiæ autoritate, vel testificatione. v. g. Epistolæ ad Corinthios agnitæ sunt Apostolicæ, non rogatâ Ecclesiæ Romanæ, vel Petri, ceu Romani Pontificis, sententiâ. Non E. unicè ab Ecclesiæ dependet sententiâ autoritas Scripturæ.

V. Quia *Scriptura, ipsa testatur de divinitate suâ*, fatente

Bell.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0026
Mecklenburg Vorpommern

Bell. l. 1. de V. D. c. 1. Scriptura verò testimonio nihil certius, Bell. l. 2. de V. D. c. 2.

VI. Qvia Scriptura Sacra est primum principium credendi, Scripturæ creditur non propter Ecclesiam, sed per se est ἀξιόπιστος. C. *quis nesciat, dist. 9.*

VII. Qvia ultima Fidei resolutio non in Ecclesiæ fit autoritatem, sed in Scripturam Sacram, ut docet *Thomas, Cajetanus, & Tannerus, Tom. 3.* Theol. Schol. *Becanus* tract. de fide c. 1. qvæst. 2.

VIII. Qvia denique; absurdum est, Verbum DEI, *qvoad nos*, fieri demum per Ecclesiam Dei Verbum, cum tale sit per inspirationem divinam, & autoritatem intrinsecam? Plura documenta, & testimonia vid. *in Critico Sacrop.* 264.

CONTROVERSIA TERTIA.

An libri omnes, in Vulgatâ Versione Latinâ Biblicâ Vet. Test. contenti, sint Canonici?

QVæstio est de seqventibus libris V. T. *Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastæ, Baruch, I. & II. Maccab.* ut & de *partibus Esther, & Danielis*, de qvibus *Conc. Trid.* sess. 4. sub. anathemate definivit, qvod *pro sacris Canonicis habendi, pariq; pietatis affectu, cum reliqvis Scripturis Canonicis, suscipiendi sint.*

Nos eosdem divinos esse, immediato Spiritus S. afflatu, in usum Canonicum Ecclesiæ perscriptos, inficiamur.

I. Qvia omnes libri V. T. divini scripti sunt *à Prophetis, Luc. 16. 29. 2. Pet. 1. v. 21.* qvi soli erant tempore V. T. Dei amanuenses. At libri illi controversi non sunt scripti à Prophetis, qvia post Malachiæ, Prophetarum ultimi, [teste *R. David Kimchio, Theodoreto, Vatablo, Galatino, Genebrardo, Jansenio,*) tempora scripti.

II. Omnis liber V. T. *in usum Canonicum Ebraicæ Ecclesiæ* scriptus, *lingvâ Ebraâ*, Ecclesiæ notâ, adornatus est. At hi libri non sunt adornati lingva Ebræâ. E. non sunt Canonici.

III. Omnes libri Canonici V. T. *ab Ebræa Ecclesiâ* acceptati, & habiti sunt pro Canonicis, utpote in cujus usum primum conscripti fuère divina intentione, *Rom. 3. v. 2.* At libri illi controversi non sunt acceptati ab Ecclesiâ Ebræâ pro Canonicis, teste *Josepho l. 1. contra Appionem*, *Eusebio* l. 3. Eccles. Histor. c. 20. *Hieronymo* in Prologo; idqve agnoscunt *Galatinus*, *Sixtus Senensis*, *Driedo*, *Andradius*, *Bellarm. Costerus*, *Becanus*, &c.

IV. Omnis liber Scripturæ V. T. judicio *Christi*, & *Apostolorum*, ceu Canonicus approbatus, comprehenditur lege, *Prophetis*, & *Psalmis*; *Matt. 22. v. 40. Luc. 16. 29. & 24. 25. 27. 40. Act. 3. v. 21. & 10. v. 43. 13. v. 27. c. 26. v. 22. Rom. 1. v. 2. & 3. v. 21, & 6. v. 16. Eph. 2. v. 20. 2. Petr. 1. v. 19. Ebr. 1. v. 1.* At libri hi non comprehenduntur Mose, Prophetis, & Psalmis. E.

V. Qvi libri non sunt habiti inter Canonicos, sed Apocryphis adjudicati, *in primitivâ Ecclesia Christiana*, illi non sunt pro Canonicis habendi. At libri hi non sunt habiti pro Canonicis in Ecclesiâ primitivâ Christianâ, ut 1. de consensu Ecclesiarum *Palæstinæ*, *Galileæ*, *Samariæ*, *Anno Chr. 170.* constat ex *Eusebio* l. 4. Hist. Eccles. c. 25. qvibus 2. ἀμόψηφοι fuere Episcopi *Asiatici*, *in Concilio Laodicensi*, dist. 16. c. prima annotat. §. Sexta Laodic. 3. Episcopi in Concilio *Constantinopolitano VI.* Anno 1680. qvod Canones Concilii Laodiceni confirmavit, & inter Concilia Oecumenica recensetur dist. 16. c. Sexta Synodus. Idem judicium omnibus seculis in Ecclesiâ de libris hisce controversis, qvod non pertineant ad Canonem, fuit, teste Seculo I. *Clemente Romano l. 1. constit. c. 57.* Seculo II. *Melitone Sardicensi* Episcopo apud *Eusebium* l. 6. c. 25. *Seculo* III. *Origine* Alexandrino apud *Eusebium*. l. 6. c. 3. 4. Seculo IV. in Oriente *Athanasio*, *Eusebio Cæsariensi*, *Cyrillo Hierosolym. Epiphanio Salaminensi*, *Gregorio Nazianzeno*, *Amphilochio Patriarcha Asiano.* in Occidente *Hilario Pictavensi*, *Hieronymo Stridonensi*, *Ruffino Aqvilejensi*, *Philastrio Brixiensi.* Seculo V. *Iunilio Afro & Leontio Bizantino.* Seculo VI. *Isidoro Hispalensi.* Seculo VII. *Johanne Damasceno IIX. Strab. Fuldensi*, & *Rabano Mauro. IX. Radulpho Flaviacensi. X.* Ni-

Nicephoro. XI. Richardo, & Hugone de Sancto Victore, Petro Cluniacensi, & Petro Blesensi. XII. Hugone de S. Charo XIII. Nicolao Lyrano, Wilhelmo Occam, Agobardo Lugdunensi. *XIV. Alphonso Tostato, Abulensi Episcopo, Matthiâ Antonio, Florentino Episcopo, & Dionysio Carthesiano, Francisco. XV. Ximenio Archiepiscopo Toletano, Thoma de Vio. Cajetano Cardinali, Jodoco Chlichtoveo, Claudio Espensæo, Francisco Ruizio, Johanne Fero, Xante Pagnino*, aliisqve pluribus, usqve ad Concilium Tridentinum. *Ludovicus Carbajalus* de restit. Theol. Colon. Ann. 1545. edit. & Carol. V. inscript. c. 13. fatetur *Hieronymum, Ephiphanium, & Cyprian. vel Ruffinum, ac Damascen. ut & Conc. Laodicen.* libros hosce, *inter Canonicos non recipere*, suamqve de iisdem sententiam hisce exponit: *Si per ipsam Ecclesiam mihi integrum esset optionem facere, non modo Genesin, sed omnes, quos Ebræi in suo Canone ante Christum natum habebant, sublimiori quodam loco constituerem, quam Tobiam, & reliquos, &c.* Quanqvam vero in Concilio Tridentino libri isti definiti fuerint pro-Canonicis, id tamen factum contra Ecclesiæ primitivæ, & præcipuorum Doctorum omnium seculorum consensum, fuitqve id Concilium tantum particulare, cui ferè interfuere solum Episcopi Itali, & Hispani, qvod nec *Gallicanæ Ecclesiæ* unqvam approbarunt, dissensus deniqve fuit inter ipsos Tridentinos, *alii* duplicem ordinem librorum Sacrorum decernentibus, *alii* triplicem seriem urgentibus, *Aloysio, & Cajetano* autoritatem *Hieronymi* iuculcantibus, ut videre est apud *Petrum Suavem*, in Histor. Conc. Trid. Sess. 4. l. 11. p. 169. Conf. *Critic. Sac. p.* 226.

CONTROVERSIA QVARTA
An Vulgata Versio Latina sit Authentica?

CONcil. Trid. Sess. 4. Can. 2. definit, *ut vetus, & vulgata versio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, aut expositionibus, pro Authenticâ habeatur, quam nemo qvovis pratextu rejicere*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0029
Mecklenburg Vorpommern

ficere audeat, vel præsumat. Qvod qvidam cum Vega, Andradio, Driedone, Marianâ, Sixto Senensi, Cano, Lindano, Bellarm: Serario, secundum qvid accipiunt, qvod *authentica* declarata fuerit *respectu aliarum versionum*, qvod omnibus aliis versionibus tùm factis præferenda, & in regulis fidei ac morum nunqvam devia sit; alii qvòd *absolute* Authentica, & ab *omni errore* immunis sit utpote *Sacroboscо*, *Menochius*, *Gregorius de Val. Pineda*, *Ludovicus de Tena*. *Congregatio Cardinalium* A. C. 1576. declaravit, *nihil esse, qvod repugnet in Vulgatâ Versione, non periodum, vel Clausulam, vel dictionem aliqvam.* Unde super Authentiâ vulgatæ Versionis, *in Hispaniâ* imprimis, gravissimæ sunt exortæ contentiones, teste *Marianâ*, urgentibus his posterioribus, qvod ea *absolutè* Authentica pronunciata sit in Concilio, qvod ita definita sit, *ut eam nemo qvovis pretextu reficere audeat.*

Nos solum textum Originalem Ebræum in Vet. Græcum in N. T. Authenticum agnoscimus, Editionem autem vulgatam esse authenticam vel absolutè, vel ab Erroribus, solùm in fidem & mores impingentibus, prorsus negamus.

I. Qvia probare non possunt adversarii, illam versionem esse Authenticam, aut qvenqvam Interpretum sic transtulisse, ut nunqvam deviarit à regulâ. Omnibus hominibus commune est errare & labi qvandoqve *Ps. 116. 11. Rom. 3. v. 4.* Privilegium *infallibilitatis* nulli concessum, aut promissum est scriptori, nisi qvi *immediato* afflatu divino gubernatur, qvalem fuisse Bibliorum interpretem nunqvam probabitur. Qvid? qvod non constet *qvinam autor* fuerit vulgatæ versionis. Nonnulli *Hieron.* alii *diversis autoribus* eandem adscribunt. *Bell. l. 2. de V. D. c. 11.* ubi concludit, *non esse eam unius autoris, sed qvædam habere ex Hieronymo, qvædam ex alio qvodam innominato; stultumqve esse dicere Theodetionem hæreticum non potuisse errasse; & Hieronymum nunqvam errasse, cum ipse dicat se errasse in capite Es. 19. & Ecclesia correctionem ejus receperit.*

II. Is textus solus est authenticus, qvi θεόπνευστος & divinitùs inspiratus est. At solus textus Ebræus in V. & Græcus in

N. T.

N.T. est divinitùs inspiratus, cum is solus à Prophetis & Apostolis profectus sit, qvibus proprium est infallibilitatis privilegiũ. Unde *Hieron.* in præfat. in Pentateuchum ipse fatetur; *Aliud est Vatem, aliud est esse interpretem, ibi Spiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia ea, qvæ intelligit, transfert.*

III. *Decretum* illud Synodi Tridentinæ factum est Anno 1546. *Correctio* autem versionis vulgatæ prodiit demùm Anno 1592. Ita ergo Authentica qvoad omnes sui partes pronunciata est ausu temerario annis 46. anteqvam visa aut lecta; Fateturq; *Sixtus V. in bullâ: ad sui usq; Pontificatus exordium*, hoc est in 37. annum à lato decreto illo Concilii, *incognitum fuisse, qvænam esset germana vulgatæ lectio, unde omnes labores omnesq; vigilias eò direxerit, ut vulgata versio emendatissima prislinæq;* puritati restituta prodiret, qvam editionem suam de *Apostolicæ potestatis plenitudine definivit, sine ullâ dubitatione pro eâ recipiendam esse, qvæ pro Authentica à Concilio Tridentino declarata est, sub pœnâ excommunicationis.* Hoc tamen non obstante *Clemens IIX.* non dubitavit eandem emendare denuò, & in pluribus locis ad fontes revocare; Unde

IV. Observare licet, qvomodo inter se pugnent editiones *Sixti V. & Clementis VIII. Iamesius in bello Papali plus qvàm bis mille loca notavit, in qvibus* illæ inter se discrepant. Utra ergo earum authentica erit? Istam *Sixtus V.* hanc *Clemens IIX.* pro authoritate Papali definivit *Authenticam, sinceram, & ab omni errore immunem.* Si illius versio pro Authenticâ recipitur, huic in plurimis contradicitur, & vicè versâ.

V. Qvo jure *Clementini correctores* in bis mille locis ad fontes refixerunt à Sixto confirmatam lectionem, eodem jure licebit ad fontes revocare Clementinam editionem.

VI. Versiones prostant doctissimorum Pontificiorum *Pagnini, Ariæ Montani Augustini Nebiensis, Isidori Clarii, Erasmi* translatio N. T. pleræqve etiam Papali confirmatæ authoritate, qvæ innumeris in locis à vulgatâ Versione discrepant, & fontibus Veritatis magis consonant.

VII. Ex ipsismet Clementinis Correctoribus *Bellarminus* fatetur, multa præterita esse, qvæ correctione indigere visa sunt. *Baronius supereſſe nonnulla, qvæ in melius mutari possunt; Clemens VIII.* ipse in bullâ in suâ emendatione fatetur, *nonnulla, qvæ commutanda videbantur, consultò non mutata relicta esse.*

VIII. C. Ut Veterum, dist. 9. decernitur *V. T. fidem de Hebraïs voluminibus examinandam, Novum vero Graci sermonis normam desiderare.*

IX *Exempla* plurima prostant errorum & corruptelarum, qvæ adhuc supersunt in Clementinâ emendatione, ut collatio cum fontibus etiam in iis locis docet, in qvibus nulla est fontium corruptionis suspicio, *tùm* ob locorum circumstantias, *tum* ob consensum Veterum translationum Chaldaicarum & Græcarum, qvandoqvidē post illas demum factam esse corruptionem adversarii contendant. Demonstravit id exemplis plurimis *Thomas de Vio Cajetanus, Augustinus Steuchus Eugubinus, Hieron. ab Oleastro, & Johannes Benedictus Theologus Parisiensis*, & adduci possunt talia sphalmata

I. ἀντιφατικὰ, vel ἀντίγραφα, *fontibus Veritatis contradicentia.*

II. ἀριθμητικὰ errata in *numeris.* III. ὀνομαστικὰ, in *nominibus* admissa. IV. ἐλλειπτικὰ, ea qvæ deficiunt & *omissa* sunt. V. πλεοναστικὰ, *redundantia* VI. διαιρετικὰ, *in divisione conjunctorum, & conjunctione divisorum sita.* VII. γραφικὰ *scriptorum culpâ* designata &c. Vid. de his prolixè *Criticus Sacer p. 568.*

X. Præstant insuper exempla plurima errorum in fidem & mores impingentia, qvales sunt, qvibus I. fontibus veritatis apertè contradicitur, adeoqve fundamentum fidei *doctrinale* labefactatur. II. qvibus additur, vel detrahitur qvicqvam verbo DEI, immutantur verba, sensusqve Scripturæ, circumstantiæ item historicæ &c. ideoqve vitiatur fundamentum fidei, contra *Deut. 4. 2. c. 12. 32. Apoc. 22. 18.* Unde non potest non periclitari

tari fides, Verbo DEI adhibenda. III. Qvà sub nomine veritatis divinæ *fabulæ*, & *commenta*, obtruduntur credenda. IV. qva *falsæ opiniones* incrustantur. V. *Divinæ constitutiones* evertuntur. VI. *falsa fidei fundamenta* constituuntur. VII. *Sententiæ Sacræ* depravantur. VIII. *Loca fidei* enervantur. IX. *Hæreses* confirmantur. Vid. *Criticus Sacer pag. 642.*

CONTROVERSIA V.

Anne textus Ebræus in V. & Græcus in N. T. ita corruptus sit, ut amplius haberi neqveat pro authentico?

EBræum textum *Porchetus & Galatinus*, ante Christum natum *jam corruptum*, dixere, qvos tamen refellunt *plerique* Pontificii, agnoscentes *ad Hieronymi usq; tempora incorruptum mansisse*, ut obtineant versionem vulgatam è textu adhuc incorrupto factam esse, post Hieronymi autem ætatem depravatum fuisse textum per *Judæorum malitiam*, contendunt *Salmer*: *Lindanus*, *Leo Castrius*, *Canus*, *Gregorius & Jacobus de Valentia*, *Serrarius*, *Huntlæus*; qvos tamen refellunt *Johannes Isaacus*, *Marcus Marinus*, *Franciscus*, *Ribera*, *Johannes Driedo*, *Pererius*, *Josephus à Costa*, *Alphonsus Mendoza*, & *Bell. l. 2. de verbo DEI c. 2. aliiq;* Ebraicè docti, *Judæorum erga libros Sacros religione, eorundem in orbem terrarum dispersione, codicum Christianorum multitudine, Masoretico opere, locorum fidei Christianæ integritate, omnium deniq; depravationis exemplorum vindicatione.* Vid. *Crit. S. p. 402.* Alii *negligentiâ Scriptorum* Ebræum textum vitiatum esse asserunt, utpote *Bell. & Joh. Morinus.*

Textum *Græcum* N. T. *Stapletonus*, *Anglo Remenses*, *Johannes Stephanus Menochius*, *Gordonus Huntlæus*, *perfidiâ Hæreticorum* depravatum statuunt: alii autem cum *Bellar.* saltem *incuriâ librariorum* violatum dicunt.

Nos neqve *perfidia hostium veritatis*, neq; *incuria Scriptorum*,

Codices sive *Ebræos*, sive *Græcos universaliter* corruptos esse, ita ut textus Ebræus *V.* & Græcus N. T. haberi non amplius possit authenticus, omnibusqve versionibus anteponi debeat, admittimus: *lectionis varietatem* non diffitemur, *omnium Codicum depravationem* negamus,

I. *Ob defectum probationis partis adversæ.*

II. *Ob textus Originalis dignitatem*, qvi cum sit θεόπνευστος, ἀρχέτυπος, summæ perfectionis, & regula infallibilis, eum præ cæteris incorruptè servatum oportuit.

III. Ob *divinæ providentiæ certitudinem.* Si enim Deus & voluit, & potuit, Scripturam originalem, atqve authenticam inviolatam servare & propagare, nullum est dubium, eam ita conservatam & propagatam esse. At *potuisse* qvis neget? *Voluisse* autem convincit *providentia* ejus in Ecclesiam, cui ideo tradidit Scripturam per immediatam inspirationem profectã, ut infallibiliter de voluntate sua certa esset, fideiqve ac vitæ normam haberet immotam & perpetuam. *Rom. 3. 2.*

IV. Ob *Christi testificationem Matth. 5. 18. Luc. 16. 17. qvod ne jota, aut minimus apex perire debeat*, usqve ad Cœli, terræqve interitum.

V. Ob *diligentiam sedulam tum curiosorum Judæorum*, in insigni illo opere *Masoretico* conspicuam, de qvo videatur *Buxtorffius in Tyberiade*; tum *Christianorum*, in propaganda Scripturæ sinceritate; qvæ si vitiata foret, utiq; Ecclesia non fuisset depositi sui à Deo traditi fidelis custos, qvod est contra Apostolum *1. Tim. 3. 15.* ipsosqve Pontificios: qvorsum facit piorum Patrum & Criticorum diligentia & vigilantia, qvoad textum authenticum, *Origenis*, *Epiphanii*, *Chrysostomi*, *Hieronymi*, *Augustini* è veteribus, *Roberti Stephani*, *Complutensium*, *Erasmi*, *Vallæ*, *Bezæ*, *Casauboni*, aliorumqve è recentioribus.

VI. Ob *consentientem doctorum allegationem.* Vid. *Sixtus Senensis in Biblioth. Sacra l. 7. hæres. 8. p. 728.*

VII. Ob *sententiæ contrariæ periculum.* Admissa universali depravatione textus originalis, non erit certum & indubium sum-

summum fidei principium. Si enim librariorum etiam saltim incuria menda inducta dicantur, dubium semper erit, anne ea qvoqve loca per incuriam fortè corrupta, qvæ fidei, & morum doctrinam concernunt. Unde enim certior qvis reddi potest, qvod ea omnia immunia permanserint à corruptione, si alia corrupta fuère?

VIII. Addimus Decretum *Juris Canonici C. ut Veterum dist. 9. & Alph. Mendoza* sententiam, qvi Ebraicos Codices fatetur incorruptos, & intemeratos servari ab eis temporibus, qvibus scripti sunt ad nostra usqve tempora, adducens in eam sententiam *Augustin. Eugubin. Dridon. Cajetan. Lyran. Burgens. Veg. Sixt. Sen. in Controv. Theol. q. 6. positiv. p. 513. Addimus* denique *& suffragium, ac exempla* Ebraicè, Græceqve doctorum *interpretum Pontificiorum*, qvi subinde recurrunt ad fontes in dubiis, ut passim videre est.

IX. Ob *omnium locorum* suspectorum specialem considerationem: qvæ haud difficulter à corruptionis suspicione vindicari possunt. Vid. *Crit. S. p. 465.*

CONTROVERSIA VI.

Utrum Scriptura Sacra perspicua sit in his, qvæ cognitu necessaria ad salutem sunt, ut ab omnibus debito modo eam scrutantibus, intelligi possit?

ADversarii negant, *Scripturam Sacram esse perspicuam ad Controversias fidei terminandas ita, ut sine explicatione vel traditione non scripta sufficiant. Bell. l. 3. de verbo DEI c. 1. & l. 3. de Rom. Pont. c. 21. Valerianus Magnus in Regula sua Cathol. verum sensum Scripturæ ab Ecclesia exigendum esse* contendit, *non verò ex ipsis Sacris literis haberi posse fide indubitata à singulis Christianis &c. Conc. Trident. Sess. 4.* Nos, qvanqvam, Ecclesiam esse Scripturæ interpretem, non negemus, Scripturam Sacram tamen semetipsam ita interpretari asserimus, ut à qvovis Christiano Sacras literas

piè scrutante, sensus ejusdem qvoad ea, qvæ creditu omnibus sunt ad salutem necessaria, haberi possit, etiam non rogata Ecclesiæ sententiâ, vel perveſtigatâ Doctorum Ecclesiæ interpretatione. Interim prophetias, seu interpretationes Doctorũ & universalem Ecclesiæ consensum, si haberi possit, circa sensum Scripturæ minimè aspernamur, sed τὴν τῆς πίστεως ἀναλογίαν ex ipsis Scripturis solis haberi posse profitemur.

I. Qvia Scriptura Sacra comparatur ob perspicuitatem *lucernæ, & lumini Psal.* 119. 105. Omnis autem lucerna in se habet lucem, ut illuminare possit, tenebrasqve discutere. Qvo circa Scriptura Sacra ea, qvæ tenebricosa sunt, cordisqve ipsius caliginem discutere potest. Dicitur *lux illustrans oculos nostros Ps.* 19. 19. *Pr.* 6. 22. Nulla autem lux obscura est, sed omnis lux natura sua lucet, nec illustrare posset oculos mentis Scriptura, nisi verum sui intellectum animis ingeneraret. Dicitur *lux in obscuro lucens 2. Pet.* 1. 19 proinde iis etiam, qvi in tenebris positi sunt, lucet, eosqve illuminare potest, qvo nomine dicuntur etiam Apostoli *lux mundi Matth.* 5. 14 qvod luce doctrinæ, non præconii tantum, sed & Scripturæ totum mundum illustrarint, nec iis tantum luxerint, qvorum temporibus vixerunt, sed etiam nobis *Matth.* 28. 19. 20. *Marc.* 16. 15.

II. Qvia, qvæ in Scriptura nobis proponuntur, *non sunt supra nos, vel procul posita, sed juxta nos, & propè nos Deut.* 30. 11. eò qvòd facilè à nobis intelligi possint: Qvod non tantum de his, qvæ ad legem, sed etiam qvæ ad justitiam fidei spectant, intelligendum esse, collatio docet *Rom.* 10. 8.

III. Qvia Scriptura Sacra *sapientiam affert parvulis*, vel imperitis Ps. 19. 29. adeoqve non tantum à Doctoribus, sed etiam à simplicioribus intelligi potest; illisqve, qvi attendunt, exoritur Phosphorus 2. *Pet.* 1. 19. eam qvi scrutantur, habent vitam æternam in eâ *Joh.* 5. 39. potest ea nos *instruere & sapientes reddere ad salutem 2. Tim.* 3. 15.

IV. Qvia *eo fine* Scriptura Sacra à Deo est proposita, ut qvi eam legunt, voluntatem DEI indè cognoscant, & informentur

ad

ad salutem *Joh. 10. 21. Rom. 15. 4. 2. Tim. 3. 15.* Oportet ergo perspicuam esse, qvoad ea, qvæ necessaria cognitu sunt de voluntate DEI ad salutem. *Qvid est Scriptura Sacra*, inqvit August. in Psal. 96. *nisi qvædam Epistola Omnipotentis* DEI *ad creaturam suam, in qva verba* DEI *sonant, & Cor* DEI *discitur; qvi amici literas legit, an mentem ipsius non intelligit?*

V. Qvia Scriptura Sacra *propriis & perspicuis verbis* articulos fidei proponit, *in sede propria* doctrinarum, sensum indubium & luculentum reddentibus, certumqve est, ex inductione, *omnia è Scripturis luculenter demonstrari posse, qvæ ad salutem cognitu necessaria sunt.*

VI. Qvia Scriptura non proposita est tantum legenda Doctoribus, sed etiam *Laicis*, & qvidem ita ut ei attendant ad salutarem cognitionem *2. Pet. 1. 19. Ioh. 5. 39.* ut aliorum doctrinam ad eam exigant *Act. 17. 11. Matth. 7. 15. 1. Cor. 10. 15. 1. Thes. 5. 21. 1. Joh. 4. 1.* Ideo omnibus ordinibus, totisq; Ecclesiis inscripta est, ut de lege constat *Deut. 31. 9. de Prophetis Habac. 2. 2. de Evangelistis Luc. 1. Joh. 20. 21. de Apostolorum scriptis Rom. 1. 17. 1. Cor. 1. 2. 1. Joh. 2. 13. omnibus utilis est* ad informationem, correctionem, consolationem. *Ps. 119. 105. Rom. 15. 4. 2. Tim. 3. 15. 16.*

VII. Qvia evangelium obscurum est tantum *infidelibus, qvibus Satan mentes excœcavit. 2 Cor. 4. 3.* Qvi ergò excœcati non sunt, illis non est obscurum, sed perspicuum.

VIII. Si Deus & potuit, & voluit omnibus perspicuè proponere scripturam, utiq; proposuit. At *potuisse*, qvis ambigere potest? *voluisse* autem, dubium esse neqvit; Cum in omnium usum salutarem Scripturam Sacram destinarit, ut ab omnibus voluntas ejus intelligeretur.

IX. Si Scriptura intelligi non potest qvoad ea, qvæ creditu sunt necessaria, absqve dilucidatione Ecclesiæ, utiq; nunqvam ea etiam intellecta fuit, non rogatâ Ecclesiæ sententiâ. At hoc falsum.

X. Addimus suffragium *Jur. Can. c. hæresis, causa 24. q. 3. & c. relatum est, dist. 37.* sensum veritatis non extrinsecus adferendum, sed è Scripturis capiendum esse. Plura vid. *Crit. Sacr. p. 854*

CON.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0037
Mecklenburg Vorpommern

CONTROVERSIA VII.

An Scriptura Sacra perfectè contineat omnia sive credenda, sive agenda, cognitu necessaria ad fidem, & vitam Christianam?

NEgant Pontificii, in Scripturis omnia contineri, nisi *velut in semine*, & in *principio universali*, uti vult *Hosius*, & *Stapletonus*, *aut mediatè solum*, indicatis sc. mediis, per qvæ ea discantur, remissione facta ad Ecclesiam, uti Davius, aliiqve contendunt. *Nos asserimus*, inqvit *Bellarm.* l. 4. de *V.* D. c. 3. *in Script. non contineri expresse totam doctrinam necessariam sive de fide, sive de moribus.* *Coster.* in Enchir. p. 47. *in membranis tam V. qvàm N. T. multa desiderari*, ait.

At Scriptura I. vocatur *perfecta Psal.* 19. 9. תמימה id notat, cui nihil deest ad perfectionem, à תמם consummavit, qvæ perfectio æstimanda est è fine, *conversione animarum*; Qvæ autē doctrina ita perfecta est, ut convertat animas, eam continere oportet omnia cognitu ad fidem, & vitam Christianā necessaria, qvia animæ conversio non potest consistere, nisi cognitis istis,

II. Ei nihil addi, vel demi debet *Deut.* 4. 1. Et 12. 32. *Prov.* 30. 6. *Eccles.* 12. 11. 12. *Apoc.* 22. 18. 19. nihil, inqvam, diversi à Scriptura: nam contrariorum non est additio, sed per ea fit destructio. Id autem perfectum est, cui nihil addi, vel demi potest.

III. Prohibetur *Gal.* 1. 8. sub anathemate, ne qvid aliud, παρά, *præter id*, *qvod prædicatum est* ab Apostolis, prædicetur, ideoqve non tantùm ἑναντία, sed *qvævis diversa, insuper adjecta* vetantur dogmata, observante *Chrysostomo & Theophylacto. Præter* qvæ autem alia prædicanda non sunt, ea sola sufficere oportet, 1. *Cor.* 4. 7. interdicitur, *ne sapiamus Ultra id, qvod scriptum est.* Non ergò extra, & præter Scripturam admittendum ullum dogma, ceu necessarium, ne ultra Scripturam Sacram sapiamus.

IV. Qvæ

IV. Qvæ scripta nos instruunt ad sapientiam cœlestem, ad salutem, ea perfectè continent, qvæ ad salutem necessaria sunt. At Scripturæ Sacræ etiam V. J. (adeoqve multo magis utriusqve tam N. qvam V.) instruunt nos ad sapientiam cœlestem 2. *Tim.* 3. 15.

V. Ita remittimur à Christo & Apostolis ad Scripturam, ut ex qvâ informari possimus de his, qvæ ad pœnitentiam & ad effugiendam gehennam faciunt *Luc.* 16. 29. indeqve vitâ æternam habere Joh. 5. 39. ut elucescat nobis Phosphorus 2. *Pet.* 1. 19.

VI. Christus & Apostoli omnia, qvæ proposuerunt, ceu necessaria creditu, unicè demonstrarunt è V. T. non vero aliunde *Luc.* 24. 27. 44. *Act.* 26. 22. At proposuerunt illi omnia, qvæcunqve ad consilium DEI de salute nostra faciunt *Act.* 20. 27.

VII. Qvæ eo fine scripta sunt, ut & fidem salvificam, & vitam æternam inde habeamus, ea continere necessum est omnia ad fidem, & vitam æternam necessaria. At eo fine scriptæ sunt sacræ literæ Joh. 20. 21. Rom. 15. 4. 1. Joh. 1. 3.

VIII. Qvicunqve liber ita utilis est ad vitam informandam, ut eos, à qvibus legitur & evolvitur, *possit perfectos reddere ad omne opus bonum, perfectè instructos*, cum oportet perfectè continere ea, qvæ ad fidem, & vitam informandam necessaria sunt. At de libro Scripturæ verum prius, *teste Apostolo* 2. *Tim.* 3. 16. Ergò & posterius. Nec verò agit Apostolus de utilitate solùm *improprie* dicta; aut qvasi Scriptura nonnulla saltem doceat *expresse*, cætera verò unde haberi possint, ostendat, sed ὀφέλιμον utilem ad id Scripturam testatur, ut ex eâ homo possit instrui de his, qvæ faciunt ad doctrinã & *ad confutationem*, qva *fidē*, *ad informationem & correctionem*, qva *mores*, ut *perfectus evadat ad omne opus bonum sufficienter instructus*; & qvidem per ipsam Scripturam.

IX. Addimus deniqve his suffragia Doctorum Ecclesiæ, *Irenæus* l. 2. c. 47. *Scripturæ perfectæ sunt, qvippe à Verbo DEI & Spiritu ejus dictatæ. Athanasius* ad Serapionem: *Solam ex Sacris literis condiscas, sufficiunt enim, qvæ in illis reperies, documenta. August.* tract. 49. in Johannem: *Electa sunt, qvæ scriberentur, qvæ sa-*

lusè credentium sufficere visa sunt. Anshelmus de præscient: & prædest. q. 3. *nihil ad salutem necessarium prædicamus, quod non in Scripturâ Sacra contineatur.* Qvibus geminæ sunt confessiones propriæ Gabriel. Biel. 3. sent. dist. 25. *omnia credenda in Scripturâ Canonicâ continentur.* Jodoci Coccii, qvi T. 1. thesaur. l. 6. p. 753. approbat illud Hilarii l. 3. de Trin. *Benè habet, ut iis tantum, qvæ scripta sunt, contentus sis,* & dictum Hieron. in c. 23. Matth. *qvod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qvâ probatur.* Claud. Espens. in 2. Tim. 3. *Scripturas posse hominem ad salutem sufficienter doctum reddere &c.* Jesuit. Colloq. Ratisb. *articulos fidei ex sola Scriptura sufficienter defendi posse, adversus eos, qvi Ecclesiæ & Conciliorum authoritatem non admittunt;* ut & Bellarmin. l. 4. de Verbo DEI c. 11. *Dico illa omnia scripta esse ab Apostolis, qvæ sunt omnibus necessaria, & qvæ ipsi palam omnibus vulgò prædicarunt;* ac deniqve Jur. Can. c. omnes. dist. 38. ex Septima Synodo. *Substantia summi Sacerdotii nostri sunt eloqvia divinitus tradita,* hoc est, *Vera divinarum Scripturarum disciplina, qvemadmodum magnus perhibet Dionysius.* Qui lib. de Div. nomin. c. 1. *sic ait: non audendum est, qviequam de summâ, abstrusaqve divinitate aut dicere, aut cogitare* PRÆTER *ea, qvæ nobis divinitus inspirata scripta enunciaverunt.* Qvam sententiam qvoqve citat & approbat *Thom.* p. 1. q. 29. art. 3. (conf. p. 3. q. 1. art. 3.) & *Joh. Gerson,* de exam. doctr. part. 2. n. 17. &c.

CONTROVERSIA IIX.

An Scriptura Sacra sit norma controversiarum fidei, & religionis, omnium adæqvata?

NOnnulli cum *Alb. Piggio, Lorichio, Caranzâ,* prorsus negant, *Scripturam esse regulam,* eamqve potius *per Ecclesiam regulari* dicunt; alii verò *unicam, totalem, & adæqvatam saltem* regulam esse inficiantur, ut *Bavarici collocutores, Greg. de Valentia, Bell. Becanus &c.*

Qvod

Qvod autem Scriptura Sacra regula sit fidei, facilè patet, qvia expresse vocatur *regula*, & *Canon Ps.* 19. 5. *Gal. 6. 16. Phil. 3. 16. typus & forma cognitionis & veritatis Rom. 2. 20. Sapientia Ecclesia Deut. 4. 6.* ad qvam revocatur Ecclesia tanqvam ad regulam *Deut. 4. 12. Esa. 8. 20. Luc. 16. 29. 2. Pet. 1. 19.* ad qvam etiam fideles doctrinam & cultum DEI exegerunt *2. Reg. 18. 3. & 32. 2. Neh. 8. 1. Act. 17. 11.* ad qvam Christus, & Apostoli, in concionibus & scriptis doctrinas revocarunt, ut passim videre est in N. T. Fatentur deniqve hodie saniores Pontificii, atqve ideo *Scripturas Canonicas* dici agunt *Andrad. Salmero. Bellarm.* l. 1. de V. D. c. 1. *Prophetici ac Apostolici libri sunt certa ac stabilis regula* fidei, qvod etiam praxi ipsa confirmant: qvandoqvidem è Scripturis dogmata sua stabilire nitantur, agnoscentes eo ipso Scripturam esse normam dogmatum fidei.

Qvod verò Scriptura Sacra regula sit *unica, adæqvata, & totalis, in rebus fidei & religionis*, ita probamus.

I. Qvia nulla regula fidei præter Scripturam designari potest.

II. Nusqvam ad aliam regulam in Scriptura remittimur, præterqvam unicè ad Scripturam *Esa. 8. 20. Luc. 16. 29. Joh. 5. 39. 2. Pet. 1. 19.*

III. Scriptura est regula credendorum, eaqve ut *præced. controv.* probatum, perfectè continet omnia scitu necessaria. E. perfecta & adæqvata est dogmatum regula.

IV. Regula partialis non est regula; ἀτελὲς γὰρ γάνονός μέρος, ait Plato 6. Polit. *Regula non est, si qvid ei deest*, ait *Basil. Magnus* lib. 1. contra Eunomium. *Regula* & *amussis neqve appositionem, neqve ablationem* admittit; ait Theophyl. in Epist. ad Gal. c. 6.

V. Soli Scripturæ regulæ fidei reqvisita conveniunt, qvia nihil præter Scripturam est *infallibile & invariabile*; Confer. *Bellarm.* l. 3. de grat. & lib. arbitr. c. 8. §. postrema ratio c. *Ego solis dict. 9.* laudatur illud, *August.* Epist. 19. ad Hieron. *Ego solis eis*

scriptorum, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honorem q; deferre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere, &c.

VI. Quæcunque afferuntur præter Scripturam, humana sunt, ideoque non habent ὁμογένειαν cum mysteriis divinis.

VII. Verbum *non scriptum*, quod vocant, non est notius articulis fidei, principium autem debet esse πρῶτον, καὶ ἄμεσον, norma notior normato. Proinde Verbum non scriptum minimè est regula, vel principium articulorum fidei.

VIII. Verbum non scriptum non constituit unum aliquod homogeneum cum Scripturâ Sacrâ, ideoque nec pars haberi potest regulæ fidei adæquatæ.

IX. Norma debet esse una & indivisibilis, πᾶσαν πρόθεσιν, καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἀποδεχόμενον, definiente *Varino*. At norma papistica Verbo scripto, & non scripto, constans, non est una & indivisibilis: admittit varia additamenta; cum subinde, autoritate Papali, novæ accedant traditiones.

X. Chrysost. Homil. 13. in 2. Corinth. docet, qvod Scritura sit ἀπάντων γνώμων κριτικώτερον; Non ergò est qvorundam tantum partialis regula, adde, qvod *C. Relatum distinct. 37.* ex Epistola Clementis qvintâ dicatur, *qvod è Scriptura haberi possit integra & firma veritatis Regula. C. nec sufficiens, causa 8. q. 1. ex Beda in Matthæum* affertur; *qvod in Sacris literis unica sit credendi pariter & vivendi Regula præscripta.*

CONTROVERSIA IX.

An Pontifex Romanus in decidendis controversiis religionis supremus sit in Ecclesia Judex, isq; infallibilis?

POntificem Romanum non tantum Judicem controversiarũ statuũt Pontificii, sed & *infallibilem* faciunt, *ita ut non possit definire hæreticum aliqvid ab Ecclesia tota* credendum; *qvam ferè omnium Catholicorum, Thomæ, Driedonis, Cajetani, Hosii, Iccii &c. sen-*

sententiam esse, ait Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontifice c. 2. Nos illi errori hæc opponimus.

I. Qvod nullibi Romano pontifici *privilegium infallibilitatis* promissum sit.

II. Assistentia Spiritus Sancti infallibilis non convenit nisi iis, qvi immediatè aguntur à Spiritu S. 2. *Pet. I.* 21. 16. 13. 2. *Tim.* 3. 16. Prophetis & Apostolis, super qvorum scripta, ceu fundamentum Ecclesia extructa est. *Eph.* 2. 20. Pontificem Romanum θεόπνευστον esse, novasq; revelationes Spiritus Sancti, & infallibilem ejus assistentiam habere, tum obtinebunt adversarii, cum probabunt eundem *Prophetam* esse, vel *Apostolum*.

III. Omnes Ecclesiæ Doctores ad regulam verbi præcisè sunt adstricti. *Deut.* 4. 2. *Esa.* 8. 20. *Gal.* 1. 8. nec excipitur ab hac regula Pontifex Romanus. Ejus ergò decreta, aut sunt Verbo DEI consona, & sic fidem habent non à se sed à Verbo, ad cujus regulum examinanda sunt; aut dissonant à verbo, atq; ita nullam fidem merentur.

IV. Pontifex Romanus aut definit aliqvid præter DEI verbum S. literis comprehensum, qvod credendum sit; aut secundum DEI verbum. *Si præter DEI verbum*, reprobandum id erit cum nihil credendum sit nisi qvod in sacris traditum. *Si secundum* DEI verbum, ergo non simpliciter dicendum, qvod Pontifex Romanus non possit erroneum qvid definire, sed in qvantum is seqvitur ductum verbi divini, qvod etiam de qvovis alio Pastore aut Episcopo dici potest.

V. Omnibus Pontifex ex hominibus assumtus eandem infirmitatem, qvà prius, ut persona privata circumdatus erat, retinet *Hebr.* 5. 2. E. erroribnoxius est, cum hæc sit communis hominum infirmitas *Ps.* 116. 11. *Rom.* 3. 4.

VI. Si illi Pontifices, qvi ab ipso Deo instituti & confirmati, aut etiam immediate vocati fuerunt, sancire aliqvid publicè potuerunt contra fidem & pietatem, qvanto magis id credendum de Romano Pontifice, qvi immediatè vocatus, aut confirmatus non est à Deo. At verum prius, exemplo *Aaronis*

Regionalbibliothek Neubrandenburg http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0043 Mecklenburg Vorpommern

qvi in μοσχολατρείαν induxit populum *Exod. 32. 4. Uria*, qvi altare ad formam Ethnici instruxit 2. *Reg.* 16 10. *Passuris*, qvi per mendaciorum præconium Jer. 20. 17. ut & *Caiphas*, qvi per blasphemiam doctrinæ Christi publicè, & de cathedra erravit gravissimè *Marc.* 14. 61.

VII. Si errare potuêre alii Patriarchæ, hæreses docentes publicè, utiqve etiam Romanus Patriarcha ita errare potest. Non enim prærogativam habuit præ aliis, nisi ratione *ordinis*, idqve saltem non *jure* divino, sed *humano*, qvæ non infert privilegium *infallibilitatis*. At verum prius, fatentibus ipsismet adversariis. E. & posterius.

VIII. Exempla prostant Pontificum Rom. qvi contra fidem & bonos mores docuerunt. *Zepherinus*, fatente B. Rhenano, Montanizavit. *Liberius*, docente Platina, Thomâ, Cusano, & Lyrano, Arianus fuit. *Cœlestinus*, annotante Valla, Nestorianus fuit; qvod de *Anastasio* II. agnoscit qvoqve Alphonsus de Castro. *Vigilius* Eutychianus fuit. *Honorius I.* Monotheleta, teste Caranza (qvi & *VI. Synod.* damnatus, ut & *ab Adrian: VI. & Leone II.* &c. Vid. Melch. Can. l. 6. Loc. c. ult. resp. ad. 11. *Surium* T. 2. contr. p. 992. 1032. *P. Crabbe* T. 2. Conc. p. 413.) *Gregorius VII. Hildebrandus* fuit Berengeranus, multisqve erroribus & Necromantiæ ipsi deditus, teste Vespergensi Abbate. *Johannes XXII.* animas piorum solutas à corpore negavit visione Dei frui, teste Alphonso Casto. *Eugenius IV.* in Concilio Basilienst sess. 34. pertinax hæreticus declaratus est, referente Severino Binio T. 4. Conc. p. 405. P. Erabb. T. 3. Conc. p. 106.

IX. Si Papa Romanus potest errare, ut privata persona & ut Doctor privatus, utiqve etiam ut Doctor publicus errare poterit. Qvisqvis enim errorem religionis animo concepit, is magno desiderio eundem propagare expetit. 2. *Tim.* 2. 17. Cujus cor per hæresin est factum spelunca Diaboli, ejus os & lingva non potest haberi infallibilis Spiritus Sancti cathedra. At prius verum est, fatentibus adversariis. E. & posterius.

X. De-

X. Decreta Pontificum Romanorum non pauca sibi invicem contradictoriè repugnant. Alter utrum ergò eorum necessario falsum esse oportet. Ita *Nicolaus I.* eos, qvi tantum in nomine Christi baptizati sunt, minimè rebaptizandos decrevit *c. à quodam Dist. de conseer.* E. contra *Pelagius* statuit, qvod sint rebaptizandi *c. revera dist. eadem. Johannes* XXII. opinionem illam definivit hæreticam, qvod Christus & Apostoli nihil commune habuerint *in Extravag. ad condit. canon. Tit. 14. de verbor. sgnif.* Ex adverso *Nicol.* IV. abdicationem omnium rerum Christum Verbo & facto firmasse statuit *c. exigit de verb. signif. in 6. Sixtus V. versionem vulgatam à Cardinalibus revisam per publicum decretum orbi Christiano ceu puram & authenticam* commendavit, At *Clemens VIII.* reapse *Sixtinam Bullam* abolevit, versionemq; illam, *multis defectibus laborantem*, arguit. V. *&c. Quantò. de divort.*

XI. Multa insuper alia *erronea dogmata* Pontifices Romani *de Cathedrâ* docuerunt, qvorum plurima è *Jure Canonico* autoritate Papali confirmato, ut & è *Concilio Tridentino*, aliisqve recenseri possent, qvæ & ab aliis prolixè jam confutata sunt, & hic compendiò refellenda erunt.

XII. Accedunt deniqve *confessiones propriæ Pontificiorum. Adrianus VI.* lib. 4. Sentent. de Sacrament. confirmat. art. 3. *Certum esse ait, qvod Pontifex possit hæresin per decretum asserere.* *Gvilhelmus Occam* pluribus & rationibus & exemplis confirmavit, *qvod Papa Canonicè intrans errare possit contra Catholicam veritatem l. 7. Dialog. p. 1. c. 70. Alphonsus de Castro l. 1.* adversus hæreses c. 2. 2. & 4. docet, *Pontifices, ut Pontifices, errare posse, etiam definiendo.* Qvalia multa leguntur apud *Authorem Oneris Ecclesiæ, Johannem Wesselum, Petr. de Aliaco, Johan. Gerson. Andream Fricium &c.* Vide &c. *Si Papa, dist. 40.* ut &c. *Diaconi Dist. 39. &c.*

CONTROVERSIA X.

An Romanus Pontifex jurisdictionem verè coactivam habeat, ita ut leges possit condere obligantes in conscientiâ?

Affir-

Affirmant Pontificii, ut videre est è *Bellarm.* l. 4. de Rom. Pont. c. 6. & qvidem de legibus, *qvæ obligant per se & directè in conscientiâ; non tantum indirectè & hypothetícè*; qvæ obligant *ad observationem, ita, ut peccatum sit aliter agere*, non tantum, qvæ obligant generaliter *ad non contemnendum*. Qvid, qvod c *Violatores causa 23. q.* 1. ex Damaso statuatur; *Violatores Canonum seu legum Ecclesiasticarum peccare in Spiritum S. iisq; negetur venia c. Si Romanorum Dist.* 19.

Nos etsi *leges Ecclesiasticas* ferendi de *adiaphoris, ad ordinem & disciplinæ conservationem* Jus Ecclesiæ non derogemus, (qvod qvidem non *solis Episcopis, sed toti Ecclesiæ* relinqvimus juxta *praxin Apostolicam Act.* 15. 6. 12. 22. 24.) Eas tamen *simpliciter & absolute* conscientiam adstringere negamus; cum earum transgressio nec præcepta divina *immediatè* violet, nec *directè & per se* cultum divinum attingat. Urgemus autem contra Pontificios.

I. Qvod *huiusmodi*, qvam ipsi propugnant, jurisdictionem sive *Romani Pontificis, sive Episcoporum aliorum*, è sacris probare non possint.

II. Qvod *lex divina ita perfecta sit*, ut non indigeat supplemento Pontificis, *nec fas sit ei qvicqvam addere Deut.* 4. 12.

III. Qvod *uni Deo est proprium*, nemo sibi arrogare debet. At conscientiis leges ponere, uni Deo proprium est, qvi solus est conscientiarum Dominus, *unus legislator*, qvi perdere potest & liberare Jac. 4. 12. Esa. 33. 22.

IV. Mandata hominum, cum ut *pars cultus divini* obtruduntur, ceu ἐθελοθρησκεία reprobantur *Matth.* 15. 9.

V. Si *Christiana libertatis vi* conscientiæ *servituti* hominum submittere sese non debent, utiqve, *vi relatorum, dominatio* qvoqve in conscientias, & potestas sanciendi leges, easdem obligantes, concessa non erit hominibus. At verum prius 1. *Cor.* 7. 23. *Gal.* 5. 1. *Col.* 2. 20.

VI. Qvid? qvod ne qvidem *Apostoli ipsi* arrogarint sibi jus conscientiis legem ferendi. Sic Paulus 1. *Cor.* 7. 35. *hoc ad utilitatem vestram, inqvit, dico, non ut laqveum vobis injiciam*; Et 2.

Cor.

Cor. 1. 24. *non quod dominemur fidei vestræ.* Qvin & pronunciant adversus legum novarum fabricatores *Act.* 15.

VII. Addimus deniqve decretum Canonicum, *Lex divina causâ* 27. *q.* 2. *è Benedicto Papa, Cur prohibeatur, qvod prohibendum nunqvam Sacra Scriptura declarat. Vid. &c. si is, qui præest, causâ* 11. *q.* 3.

CONTROVERSIA XI.

Utrum caput aliqvod visibile constitutum sit Ecclesiæ totius, ceu vicarius Christi Oecumenicus?

Bell. l. 1. de Rom. Pont. c. 5. *convenire omnes in eo Doctores Catholicos*, ait, *qvod regimen Ecclesiasticum hominibus commissum sit Monarchicum*, idqve probare conatur, qvod præcipuè *penes unum summum totius Ecclesiæ Præsidem situm sit.* Cæterum *Scotus* lib. 4. Sentent. dist. 24. ut & *Cajetanus* de primatu Papæ. c. 13. agnoscunt, *non esse juris Divini, ut Episcopus unus totius orbis sit Episcopus*; alii tamen pleriqve omnes contendunt, id dependere *ex institutione Christi.*

Nos contra hunc *Oecumenicum Monarchatum* hæc producimus argumenta.

I. Qvod evinci neqveat documentis sufficientibus, *eundem divinitus institutum esse.*

II. Qvod *Christus* prohibuerit *Monarchicam dominationem* in Ecclesia *Luc.* 22. 25. *Matth.* 20. 25. *Marc.* 10. 42.

III. Qvod Petrus ipse 1. *Epist. c.* 5. 3. *vetet, ne dominentur Presbyteri Clero, ut Christus maneat solus* ὁ ἀρχιποιμήν.

IV. Elogium hoc *soli Christo* proprium est, qvod *Ecclesiæ caput sit, & Ecclesia ejus corpus Eph.* 1. 22. *c.* 4. 15. *c.* 5. 23. *Coloss.* 1. 18. 1. *Cor.* 12. 27. Si aliud caput esset *præter Christum, Ecclesia biceps* esset, diceretur qve etiam *alterius*, qvàm Christi *corpus.* Christus *unus est Magister noster, Matth.* 23. 8. *Unicum* Ecclesiæ *fundamentum* 1. *Cor.* 3. 11.

V. Omnes Ecclesiæ Doctores Oeconomi sunt, & *ministri*

non tantùm Dei, sed & *Ecclesiæ Luc.* 12. 42. *1. Cor.* 3. 21. *c.* 4. *1. Colos.* 1. 25. nullus eorum est *Dominus* Ecclesiæ.

VI. Omnibus *æqualis potestas* est collata, nullus constitutus est cæterorum *caput*; eadem erat omnium Apostolorum *vocatio*, eadem *missio*, eadem *vocationis privilegia Matt.* 10. 1. *Et* 28. 19. *Marc.* 16. 15. *Luc.* 9. 1. *Joh.* 20. 21. eadem omnibus *pastura*, *& cura fidelium* commissa, 2. *Cor.* 11. 28. claves non minus aliis, qvam Petro datæ *Matth.* 18. 18. *Joh.* 20. 23.

VII. In *divinâ Hierarchiæ Ecclesiasticæ constitutione nullus* assignatur *Œcumenicus Eph.* 4. 11. Nullus nominatur gradus, in qvo non sint plures. Apostolatus supremus est omnium 1. *Cor.* 12. 18.

VIII. Capitis Ecclesiæ est *fovere*, *regere Ecclesiam*, *omniaq; ejus membra* Spiritus & gratiæ influxu *vivificare*, *nutrire & salvare corpus Eph.* 5. 23. 29. qvæ non conveniunt ulli hominum.

IX. Ut *præter maritum* nullum agnoscit mulier Virum; sic nec Ecclesia, *præter Christum*, *caput. Eph.* 5. 22. 23.

X. Si omnes, *qui sub Christo* sunt capite, membra sunt *unius* capitis, & *alter alterius membrum est* nullus eorum caput erit. *Rom.* 12. 8. 1. *Cor.* 12. 25. 27. *Eph.* 5. 30. Ut taceamus, *qvod unus homo sufficere non possit regendis per totum orbem Ecclesiis*; *qvod regimen Ecclesiæ primitivæ Aristocraticum* potius fuerit, qvàm *Monarchicum Act.* 20. 28 1. *Pet.* 5. 3. consentiente *historiâ Ecclesiasticâ*, nec diffitente *Bellarm. l.* 1. de R. P. c. 9 §. Respondeo; *qvod Christus Ecclesiæ suæ perpetuò præsto sit*, *ut vicario* non indigeat *Matth.* 18. 20. *c.* 28. 24. *Marc.* 16. 20. qvod denique *Sacerdotium Christi nullum habuerit successorem in Pontificatu.* Vide & interdictum *Pelagii* 11. *c. Nullus dist.* 99. ut & *Greg. M. l.* 4. *Ep.* 30. *&c.*

CONTROVERSIA XII.

An Petrus fuerit totius Ecclesiæ caput & princeps, loco Christi ab ipso Christo constitutus?

AFfirmant pontificii, Bell. l. 1. de R. P. c. 12. & cæteri omnes. Qvanqvam verò Petro *primatum ordinis* non derogemus cũ priscis

priscis Patribus ratione *ætatis, vocationis, prædicationis, & donorum quorundam singularium*, aliarumqve *prærogativarum* nonnullarum, *juris dictionis* tamen, *regiminis* aut *Monarchicæ potestatis*, primatum nullatenus ei concedimus.

I. Qvia nuspiam illi à Christo distributus, vel concessus legitur *Matt.* 16. 18. non super *Petrum*, sed super *petram* ædificanda dicitur Ecclesia, vi contextus, qvod magno consensu veteres, *Tertullianus*, *Ambrosius*, *Hilarius*, *Basilius*, *Theodoretus*, *Hieronymus*, *Cyrillus*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Epiphanius*, *Isidorus Pelusiota*, *Anshelmus*, *Theophylactus &c.* & è Pontificibus ipsis, *Felix III. & IV. Gregorius Magnus Leo II. Adrianus I. Innocentius II.* & alii non pauci docuerunt. Claves non soli Petro datæ, sed & *reliqvis Apostolis Matt.* 18. 18. *Ioh.* 20. 13. *Anadelus Pontifex c. In novo Dist.* 21. *Petrum*, ait, *qvidem primum accepisse potestatem ligandi ac solvendi, cæteros verò Apostolos cum eo pari consortio, honorem ac potestatem accepisse.* Qvod *Ioh.* 21. 15. Petro dictum: *Pasce oves meas* (qvod de *pastu verbi & exempli* interpretatur *Glossa ordinaria*, *Lyranus*, *Cardinalis Cusanus* & alii) id omnibus etiam Præsbyteris cum Apostolis convenit 1. *Pet.* 5. 3. fateturq; Bell. l. 4. de R. P. c. 23. §. Addit & l. 1. c. 11. §. tertio modo, *omnes Apostolos fuisse universæ Ecclesiæ Pastores*, qvid ergò hoc pro Petri primatu Oecumenico?

II. Qvia prohibet ipse Petrus 1. *Ep.* 5. 3. καταχυριευειν *Dominari Clero.* Non autem præsumendum est, Petrum id sibi arrogasse, cujus usus prohibuit, & illicitum esse docuit.

III. Nuspiam profitetur Petrus sese Oecumenicum, sed hoc sibi *summæ* laudi ducit, qvod sit *Apostolus* 1. *Ep. c.* 5. *l.* 2. *c.* 1, *l.* eaqve parte sese jungit cæteris Apostolis 2. *Ep. c.* 1. 3.

IV. Si accepisset Petrus Oecumenicum pontificatum, executus fuisset partem ejusdem. At non executus est. Qvicqvid gesfit ille, *qvilibet* Apostolus genere poterat; *non imperavit cæteris Apostolis, non fuit ab aliis Apostolis ad ipsum appellatum, nunqvam solus controversias religionis propria autoritate decidendas*

sumsit, non egit Præsidem in Conciliis: non habuit casus sibi reservatos, & qvæ alia Oecumenico vindicant Papistæ.

V. Si plures uno sunt *summi* Apostoli, non erit Petrus *Oecumenicus*. At sunt plures uno 2. *Cor. 11. 5. Gal. 2. 6.*

VI. Oecumenicus Pontifex est *major omnibus*, nullosqvè habet æqvales. At Petrus non fuit omnibus major 2. *Cor. 11. 5. Et c. 12. 11. Gal. 2. 6.* sed habuit *æqvales Gal. 2. 7.*

VII. Oecumenicus non partitur provincias cum alio, qvia solus in omnes provincias habet dominium. At Petrus ita partitus est provincias, ut ipse cum suis præcipuè *Judæorum Doctor* ac Pastor esset, uti Paulus cumprimis erat gentium Doctor cum Barnaba, aliisqve *Gal. 2. 7. & 9.*

VIII. In Apostolicæ Ecclesiæ administratione Petrus minimè præfuit, ut Oecumenicus. In *Matthiæ* electione nec autoritatem ipsius *electionis*, nec *consecrationis* Petrus usurpavit *Act. 1. 23. Paulus & Barnabas* non impetratâ à Petro potestate per singulas Ecclesias Præsbyteros constituère *Act. 24. 23.* qvin & Episcopos præfecit Ecclesiis Paulus absqve Petri autoritate, utpote *Titum in Ecclesia Cretensi Tit. 1. 5. Et c. 3. ult.*

IX. Nullus Oecumenicus Pontifex delegatur ab aliis. At Petrus delegatus fuit ab Apostolis aliis in Samariam *Act. 11.*

X. Si licuit Discipulis certare & contendere cum Petro, isqve obnoxius fuit eorum accusationi & examini, utiqve non fuit summus Ecclesiæ Monarcha. At verum prius *Gal. 2. 11.* E. & posterius.

XI. Nemo Oecumenicum jure objurgare potest, juxta Papistas. At Paulus Petrum jure reprehendit, eiqve *in faciem restitit. Gal. 2. 11. 13. 14.*

XII. Oecumenicus Pontifex, secundum Pontificios, errare non potest. At Petrus erravit, & ideo reprehensionem Pauli incurrit *Gal. 2. 11. 13. 14.*

XIII. Summi pontificis est *congregare Synodum, eidem præsidere & sententiam ferre definitivam*, secundùm Pontificios. At Petrus non convocavit *Synodum Hierosolymitanam Act. 15.* nec præ-

præsidem in eâ egit, nec *definitivam* tulit sententiam; sed potius *Jacobus* v. 19.

XIV. Petro vitâ functo *Episcopos Romanos* superstitutum Apostolorum capita fuisse, nullo modo fit verisimile, cum Apostolorum *summa* fuerit in Ecclesia autoritas, utpote qvi immediatè ab ipso Christo instituti, totius orbis Pastores *à Spiritu Sancto in omnem ducebantur veritatem.* Qvid, qvod *Clemens Episcopus Romanus* Jacobum fratrem Domini, Episcopum Hierosolymitanum, (non autem Petrum, nedum semetipsum appellet) *Episcopum Episcoporum & regentem omnes Ecclesias tom. 1. Concil. p. 14.* eumqve *Apostolorum Episcopum post assumptionem Domini constitutum* dicat à *Petro, Jacobo & Johanne lib. 6. Constit. &* pud *Euseb. lib. 2. hist. Eccles. c. 1.*

XV. Adde qvod fateantur adversarii, Petrum non *habuisse potestatem super reliqvos Apostolos, Marsil. Patavin.* defens. pac. p. 103. *Eranc. Zabarell.* l. de Schism. & Conc. & *Nicol. Cusan.* l. de Consid. Cath. 2. cap. 8. 12. *Petrum* nunqvam *potestatem universalis judicii usurpâsse: Greg. de Valentia.* lib. 7. Anal. c. 6. *Costerus* in Enchirid. 3. c. *eumq; Pastorum primatum* neglexisse. *Salmero tom. 16.* comment. in 1. Petr. 1. c. Disp. 1. qvodqve *Apostolicam dignitatem primam & supremam esse in Ecclesia* admittat Bell. l. 4. de Rom. Pont. c. 23. §. ult. ac *summam potestatem Ecclesiasticam* non solum Petro datam esse, sed etiam *aliis Apostolis* agnoscat lib. 1. de Rom. Pont. c. 10. §. *loqvitur*; *causa* 24. *q.* 1. è Cypriano hæc laudatur sententia. *Hoc erant & cæteri Apostoli, qvod fuit & Petrus pari consortio præditi & honoris, & potestatis.* Simile prorsus ex *Anacl. c. In novo Dist.* 21. effertur.

CONTROVERSIA XIII.

Utrum Petrus Episcopus Romanus fuerit, eundemqve Episcopatum nunqvam mutârit, sed per 25. annos administrârit?

Affirmant communiter Pontificii Vid. *Bell.* lib. 2. de Rom. Pontif. c. 1.

Nos inficiamur seqventibus rationibus:

I. Qvia Petrum *peculiariter* Romanæ Urbis Episcopum constitutum esse, nullo documento constat, altumqve est de eo silentium *in Actis Apostolicis*, qvæ tamen rem tanti momenti salutem totius Ecclesiæ concernentem minimè præteriissent.

II. Petrus non particularis tantum cujusdam Ecclesiæ Episcopus, sed *universæ Ecclesiæ* per Orbem terrarum Apostolus & Doctor Christo constitutus fuit *Matt. 28. 19. Marc. 16. 15. Act.* 1. 8. eumqve Apostolatum gessit per *Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bythiniam, &c. 1. Petr.* 1. 1.

III. Petrus pactum iniit cum Paulo, qvod Apostolatu suo principaliter fungi velit inter *Judæos Gal.* 2. 7. Qvis ergò admittit eum contrà pactum initum egisse, & *Romanum Episcopatum* suscepisse?

IV. Constat *Paulum Romæ docuisse*, qvi inprimis illic docere studuit, *ubi nondum notum erat Evangelium Rom.* 15. 20. & cum Act. 28. Romam veniret, *Anno 59. à nato Christo* non erat ibi publica Ecclesia, nedum ministerium Ecclesiasticum, aut cathedra Petri, qvia congregabantur Judæi ad Paulum, ut *aliqvid cognoscerent de secta Christianorum.* Si verò Petrus jam tum *per 15. annos* (qvod volunt Pontificii) Episcopatum gessisset Romæ, qvomodo poterat obscura, vel incognita Christianorum professio ibidem esse?

V. Paulus Romæ per biennium substitit, indeqve plures Epistolas *ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossens. posteriorem ad Timotheum, & Philemonem*, misit, in qvibus qvidem aliorum mentionem facit, non autem Petri, imò *Philip.* 2. 20. 21. *neminem habeo*, inqvit ἰσόψυχον, *omnes, qvæ sua sunt, qværunt, non qvæ sunt Jesu Christi & 2. Tim.* 4. 15. diserte ait: *Nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliqverunt.* Epistolam *ad Romanos* scripsit *Anno* 52. in eâ ferè omnes salutat, qvicunqve Romæ præstantiores fuere, Petri verò nullam mentionem facit. Unde colligitur, qvod Petrus neqve anno *Christi* 52. cum Paulus *ad Romanos* scri-

scriberet, nec *Anno* 59. cum Paulus *Romam veniret*, ibiqve per bienniũm subsisteret, Romæ fuerit.

VI. In eo conveniunt pleriqve Pontificii, *Petrum Anno Christi* 68. crucifixum esse. Oportet ergò eum Anno 43. Episcopatum suscepisse h. e. *Anno post Ascensionem Christi Bell.* lib. 2. de Rom. Pont. c. 6. At mansit in Judæâ per 5. an. *Bell. l. 2. de R. P. c. 6.* Unde docuit ipse *Hierosolymis, Samariæ, Lyddæ, Joppæ, apud Cæsarienses. Act.* 3. 1. *Et* 8. 4. *Et* 9. 37. *Et* 10. 34. Post *Antiochiæ* sedisse Petrum per *septennium* asserit *Bellar. & Baronius.* Qvomodo ergò an. 43. Chr. potuit Episcopatum Romæ gerere? Adhæc constat *è Gal.* 2. 1. *Petrum* 14. *annis* post primum cum Paulo congressum, iterum *Hierosolymis* fuisse h. e. *Anno* 53. postea verò pactum iniit cum Paulo, *se Evangelium inter gentes prædicaturum:* Testaturqve *Baronis* Petrum *Anno* 51. in *Africam* profectum, *Carthaginensem & Alexandrinam Ecclesiam fundasse, Anno* 58. *versus occidentem se direxisse*, usqve dum *in Angliam* perveniret. Qvi ergò Romæ sederit per 25. annos.

VII. Testatur *Epiphanius Hæres.* 27. *Linum & Cletum à Paulo & Petro, Romæ Episcopos constitutos esse*, qvod *ipsi non possent eo munere fungi propter varias peregrinationes.* Conf. *Euseb. lib.* 3. *Hist. Eccl. c.* 19. *& Clemens lib.* 7. *Constit. c.* 46. docet: *Linum fuisse Romanæ Eccl. siæ Episcopum, non à Petro, sed à Paulo constitutum.* Non ergò Petrus fuit Romanus Episcopus. Alias difficultates vide apud *Salmeronem in Epist. ad Tucc. Tom. ult. p.* 413.

VIII. Marsil. Paav. part. 2. Defension. Pac. probat per *Scripturam non convinci posse, Petrum fuisse Rom. Episcopum, sed Paulum:* *Guilhelmus*, Præceptor Wiclefi, docuit, *Petrum neqvidem Romam vidisse, neqve Episc. Romæ fuisse; V. Thom. Wald. l.* 2. doctr. fid. art. 1. c. 7. Idem, qvod Petrus *Romæ Episc. non fuerit M. Ch. Cesenas, Lyran. Mantuan. &c.* fatentur, apud *Wolfium* Tom. 1. memerab. p. 23.

CONTRO-

CONTROVERSIA XIV.

An Episcopus Romanus S. Petro succedat & in Romano Episcopatu, & in universæ Ecclesiæ principatu?

Affirmativa nititur *universus Papatus*, sed eam falsissimam esse, hæc docent.

I. Qvia Monarchia illa Ecclesiastica jam supra profligata est, qvod nempè à Christo instituta non sit.

II. Profligatus & Oecumenicus Pōtificatus Petri Apostoli.

III. Profligatus deniqve Episcopatus Rom. Petri. Qvæ ergò ejus successio dari potest?

IV. Non succedit Petro Romanus Pontifex, vel in *doctrinâ*, vel in *munere*. *Doctrina* enim Pontificis Rom. διὸ διὰ παυσῶν, distat à Petri doctrina: *De verbo DEI. 1. Pet. 4. 11. 2. Pet. 1. 19. Et 3. 2. De Christo 1. Pet. 2. 6. Et 5. 4.* ut & *Act. 4. 12.* nec non *1. Pet. 2, 24. De Lege Act. 15. 10. De justificatione Act. 10. 43. De fide 1. Pet. 5. 9. De gratiæ certitudine 2. Pet. 1. 10. De Ministerio 1. Pet. 5. 4. De Magistratu, 1. Pet. 2. 13. &c. Muneris* ratione *Petrus* fuit *Evangelii præco & Apostolus*, qvod neutrum convenit Romano Pontifici. Rursus *Pontifex Romanus* solus sibi vendicat *jurisdictionem Ecclesiasticam, potestatem leges condendi, in Conciliis præsidendi, controversias definiendi jus appellationum è toto orbe, potestatem* deniqve *in secularibus*, qvæ sibi nunqvam vindicavit Petrus. Non ergò est legitimus Petrus successor.

V. Non conveniunt Romano Pontifici *requisita Oecumenici*: Qvia I. *ab ipso appellatum fuit ad Imperatorem.* vid. *August. Epistola* 162. nec ad ipsum jure appellatur *ab omnibus*, qvæ appellationes improbatæ sunt à *Cypriano Epist.* 55. ab Episcopis *Orientalibus* apud *Socratem lib. 2. c. 11. à Concilio Milevitano Can. 22.* ut & à *Concilio Carthaginensi VI.* jubentqve Concilia antiqva, *ut Ecclesiastica causæ intra provinciam suam finiantur, sive à Conciliis, sive à Metropolitanis. Nicenum Can. 5. Antiochenum. Can. 6. & 15. Novella justinianea 123.* II. Nec ipse *solus* judicavit controversias omnes;

Johannes Apostolus in condemnatione *Nicolaitarum & Cerinthi* non expectavit judicium Romani Pontificis, nec Concilium *Africanum* in qvæstione de *iteratione Baptismi ab Hæreticis collati*, nec *Alexander* in condemnatione *Arii*, nec aliud *Africanum Concil. in Pelagio* damnando; nec in *Anicetii* sententiâ de *die Paschatos*, acqvievit *Polycarpus*, aut *Græca Ecclesia*.

III. Romanus Episcopus *judicatus* sæpe numerô est ab aliis. *Honorius à sexta Synodo* damnatus, ut *Monotheleta &c.* Christiani etiam Imper. deposuerunt Roman. Episcopos. *Constantius Liberium: Otto I. Johannem XII. Henricus III. Gregorium VI. &c.*

IV. Romanus Episcopus non habet solus autoritatem omnes creandi Episcopos, qvia jubent Canones, *in singulis provinciis Episcopos communibus suffragiis Cleri & Plebis eligi, & à vicinis tribus Episcopis consecrari, Can. 4. Nicen.* nec in *Metropolitanorum creatione* ullum fuit Romani Episcopi momentum. Vid. *Aureliani Concilii tertii Can. 3.* Ita *Basilius*, factus *Episcopus Cæsariensis*, non consulto Romano Episcopo, *Greg. Nazianzenus* creavit *Episcopum Sasimorum*, *Augustinus Antonium Fussalensem*. Vid. etiam *Concil. Carthaginensis Can. 17.* qvin & invito Episcopo Romano creati & depositi sunt Episcopi. Vid. *Epist. 68. Cypriani, & Sozomenus lib. 3. c. 7.*

V. Romanus Episcopus *solus* non habet *autoritatem convocandi omnia Concilia, qvia particularia Concilia* nulla convocata fuere ab Episcopo Romano, nisi qvæ in ejus erant provincia. *Oecumenica* verô omnia nulla nisi post *Imperii diminutionem, & Anti Christi confirmatam* tyrannidem; qvandoqvidem eadem ab Imperatoribus convocata fuerint omnia, qvæ verè *Oecumenica* sunt, qvod de qvinqve *Oecumenicis Synodis* patet ex *ipsius Imperatoris Justiniani literis subinitium Qvintæ Syn. Constantinopol. V. II. V. Senius p. 47. Tom. II. p. 2.* Confer. *c. Sancta Romana dist. 15. & de sextâ Synodo, c. habeo librum, dist. 16. &c. sextâ dist. eâd.* ut & *Binius T. 3. p. 1. f. 10.*

VI. *Summus* ille *dominatus* in Ecclesia conciliari non potest cum *subjectione*, qvâ Episcopus Romanus *etiam in rebus Ec-*

clesiasticis Imper. subditus fuit. 1. Qvi eum accersere solitus fuit, cum libebat, apud *Sozomen. lib. 4. c. 10. 2.* Cui supplicare tenetur Episcopus Romanus, ut exemplo est *Leo Epist. 24.* ad *Theodosium. 3. Qvi* delegabat Episcopos Romanos, ut *Constantinus Melchiadem, in causa Cæciliani. Ad qvem* 4. appellabatur à Romano Pontifice, ut in eadem causa factum. *Qvi* 5. convocabat etiam *Oecumenica Concilia, & 6. autoritate sua vel confirmavit, vel infirmavit electum Romanum Episcopum.* Videat: *Platina in pelagio II.*

VII. Romanus Episcopus unus fuit *è numero Patriarcharum*, adeoqve non *Oecumenicus*, qvod constat è *Concil. Niceno Can. 6. è Constantinopolitano Can. 3. Chalcedonensi Can. 18. è Trullana Synodo Can. 26.* salutatusqve fuit *Episcopus Romanus* ab aliis ceu *frater, Collega & Coepiscopus &c.*

VIII. Non constat sibi ulla ratione *historia & series Rom. Pontificum*: qvod doceri potest I. *Chronologicè*, ratione temporis, ubi nulla certitudo, sed mera confusio, *tum qva tempus regiminis, qvamdiu qvisq; Romæ sederit, tùm qvoad συγχρονισμὸν annorum Christi, & Rom. Imperatorum cum Pontificum Regimine.* Utrobiqve innumeras discrepantias apud *Baronium, Bellar. Platinam, Onuphrium, Costerum &* alios Pontificios scriptores demonstrare licet. Vid. in *D. Nicol. Hunnii Pelle-Ovina, tabellis annexis sub litera B. & C. II. Historicè*, tum qvoad *enumerationem Rom. Pontificum*, tum qvoad *successionis legitimæ veritatem*, ubi magna deprehenditur discrepantia & incertitudo, Ratione I. *Numeri*, Baronius *à Petro ad Hadrianum VII.* 220. numerat. *Bellar. Onuphrius & Costerus* 222. *Genebrardus* 226. *Platina* 227. Si qværas denique qvot Pontifices fuerint à Petro usqve ad Modernum, ne qvidem tota Romana Ecclesia id certo indicare poterit. II. Ratione ὁμωνύμων *Pontificum*, ubi iterum summa incertitudo. Bellar. & Baronius *X. Stephanos* numerant, *Platina & Onuphrius IX.* saltem. *Iidem* cum *Costero* IX. recensent *Bonifacios*, *Bellar.* VIII. tantum. *Baronius* VII. saltem. *Fasciculus temporum*

porum X. &c. III. Qvoad *seriem atqve ordinem.* Ubi vix convenit inter Historicos Pontificios *de postremis XII. Pontificibus*, reliqvi omnes incertam seriem, maximeqve dubium ordinem habent. *Vid. Tabell. Dn. D. Hunnii l. c. A.*

I. Qvod autem successio minimè legitima & interrupta fuerit, docent I. *Sedes vacantes*, qvia ultra *duos Menses* sæpè sæpius vacavit Romanus Episcopatus. Post *Vigilium*, *Benedictum I. Pelagium*, *Paulum IV. Georgium* I. *Pelagium* II. *Bonifacium* III. *Leonem IX. Damasum* II. *Paulum* I. *Benedictum* II. *Martinum* I. *Honorium* I. *Clementem IV. Johannem* XXIII. *&c.*

II. *Antipaparum dissensiones & schismata.* Ita tempore *Johannis* XXIII. *tres fuisse Papas*, *nec constitisse*, *qvis fuerit legitimus*, fatetur *Bell.* lib. 4. de Romano Pontifice c. 14. Anno 1378. schisma exortum est, qvod duravit per 50. an. Vid. *Greg. de Valentia lib. 4. c. 10.* Si omnia schismata computentur, conficient ad minimum 124. *annos.* Per tot ergô annos nullus Papa fuit in Ecclesia. Conf. *D. Hunnium l. c. p. 127.*

III. *Illegitimæ sedis occupationes*, qvia, *qvi illegitimo modo Pontificatum adipiscitur*, *is excommunicatus sit*, secundum *Decretum Nicolai* II. *c. in nomine dist. 23.* Plerosqve autem Pontificios *per summum dedecus ad summum decus perveniisse* docet *Mirandulanus in Epistola ad Leonem tract. 4. Platina*, ut & *Baronius* fatentur, *circa Anni Chr.* 900. *per corruptiones*, *ambitionem & potentiam conscendisse Pontifices sedem Romanam*, *horrenda monstra*, *idqve per* 100. *annos durásse. Genebrardus* lib. 4. Chron. per 150. *annos id durásse* asserit. Tales illigitimi modi hîc recenseri possunt, *Simoniaca largitio*, qva sedem occupârunt *Sergius*, *Honorius* II. *Formosus* I. *Johannes* VII. *Gregorius Alexander* VI. *Sylvester* III. *Greg.* VII. *Bonifacius* IV. *Bonifacius* IX. *Johannes* XX. *Vit & factianes*, qvomodo obtinuere *Damasus*, *Vigilius* I. *Christophorus* I. *Johannes* XIII. *Bonifacius* V. *Damasus* II. *Victor* X. *Fraudes & doli*, qvibus conscendere *Bonifacius* IX. *Greg.* VI. *Johannes* XXIV. *Greg.* VII. *&c. Artes Magicæ*, qvibus ad eãdẽ dignitatẽ adspirarũt *Martino* II. *Bonifacio* VII. *Sylvester* II. & alii. Videatur *Platina*, ut & *Baronio.*

IV. *Hæreticæ à vera fide defectiones.* Papa enim *Hæreticus desinit esse Papa*, Bell. l. 2. de Rom. Pontif. c 20. Tales fuere *Severinus* Montanizans, *Liberius* Arianus, *Innocentius* I. Pelagianus, *Cœlestinus & Anastasius* II. Nestoriani, *Vigilius* Eutychianus, *Honorius* Monotheleta, *Greg. VII.* Berengerianus, *Johannes XXII.* Armenianus &c.

V. *Vita improba & profana*: *Marcellinus* idolis sacrificavit. *Felix, ut & Greg.* III. Necromanticus fuit, *Bonifacius VII.* tyrannus, *Nicolaus V.* veneficia approbavit, ut de *scortatione Hormisdæ, Benedicti VIII.* nil dicamus. *Baronius* circa *ann. Chr. 897.* fatetur, *Pontifices fuisse homines monstrosos, vita turpissimos, moribus perditissimos, usq; quaq; fœdissimos.* Ejusmodi autem impios, & profanos, Diaboli potius, qvam Christi membra esse constat. *Dist. 38. c. Nullus.*

VI. *Spuriorum successiones.* Illi enim non sunt capaces Papalis sedis. 1. *Decretal. 17. de Filiis* c. 1. Tales fuere *Johannes XI. & XII. Felix III. Gelasius I. Sylverius Hadrianus II. Martinus II. Bonifacius VI. Stephanus VII. Benedictus IX. Hadrianus IV. &c.*

VII. *Laicorum successiones & Monachorum*, qvi itidem non judicantur idonei *ad munus Papale*, *Dist. 72. c. Nullus.* Ita *Eusebius* Laicus fuit. *Victor. III.* Monachus, ut & *Urbanus II.* item *Gelasius II. Cœlestinus II. Anastasius IV. &c.*

VIII. *Ficti Johannis* VIII. regimen, qvi mulier fuit, sexum mentita virilem, & per *biennium ac qvinq; menses* sedem occupavit, donec in processione solemni infantem enixa seipsam prodidit. Qvam historiam, adversus Jesuitarum perfrictam negationem, libellus qvidam prolixè solideq; asserit, *Anno 1597.* editus hoc titulo, *Jesuitas falsò & frustra negare Papam Johannem VIII. fuisse mulierem.* Deniqve ad oculum demonstrat id *D. Nicol. Hunnius* l. c. p. *683.* qvod *ad minimum centum & duæ personæ expungendæ sint è Catalogo Pontificum Rom.* qvæ ferè absolvent dimidium Catalogum, cum is totus absolvatur 237. *personis.*

IX. Tandem producimus adversus Pontificatum Oecumenicum Confessionem *Leonis I. Epistola 24.* Pelagii II. Vid.

Bullar.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0058
Mecklenburg Vorpommern

Bullar. Roman. Angeli Mariæ Cherubim p. 22. &c. Nullus Dist. 99. & Gregorii, qvi *titulum universalis*, ceu *fastuosum*, improbat c. *Ecce dist. 22. Æneæ Sylvii*, (qvi postea *Pius* II. *Pontifex* dictus) negantis, *Papam esse caput Ecclesiæ lib. 1. Comment. de gestis Concil. Basileensis*, *Nilus Thessalonicæ* Archi Episcopus *circa Ann. 1330.* libram scripsit adversus Latinos, in qvo *primatum Pontificis* multis argumentis confutavit. *Petrus de Aliaco Cardin. lib.* de Reformatione Ecclesiæ, *Nicolaus Cusanus Card.* lib. de Concordia Ecclesiæ, *Cajetanus Cardinal.* lib. de primatu Papæ negant *juris divini esse Oecumenicum Pontificatum.* Vid. & *Zabarella Card. in c. Licet extravagant. de electione. &c.* Adde qvod fateantur *Anastas. Rom. Biblioth.* de vit. Pontif. p. 62. & *Platina* in Vit. Bonif. III. *hunc Bonifacium à Phocâ Imper. demum obtinuisse, nec absque magnâ consentione, ut Roma caput omnium Ecclesiarum haberetur; &c.*

SECTIO II.

DE JUSTITIA CHRISTIANA.

CONTROVERSIA I.

An Justitia originalis, & immortalitas, in primo homine donum fuerit merè supernaturale, & extrinsecum, an vero interna, & concreata hominis perfectio?

AFfirmant prius *Pontificii*, & cumprimis Jesuitæ præunte *Dominico à Soto*; nos posterius. *Bell.* lib. de gratia primi hominis c. 5. *rectitudinem, cum qva Adam creatus fuit, donum supernaturale fuisse*, ait. Idem de *immortalitate*

qvoqve asserit *Bellar. c. 9.* ut & *Pererius*, cum *Scoto*, & *Thoma*,

Nos verò, qvanqvam non denegemus Protoplastis *dona supernaturalia*, qvale erat *gratiosa DEI inhabitatio*, nec vel *justitiam originalem*, vel *immortalitatem*, *partem naturæ* fuisse, aut è *naturæ principiis fluxisse* asseramus: nec *immortalitatem* primo homini *debitam*, vel *non gratuitam* statuamus, qvæ omnis per calumniam nobis imputantur; *naturalem* tamen fuisse & *intrinsecam* hominis primi perfectionem, *justitiam originalem*, ut & *immortalitatem*, qva poterat non mori, seu immunis esse à morte, eo sensu adstruimus, qvo *naturale qvid* dicitur *subjectivè*, qvod penitissimè naturæ inhæret; *perfectivè*, qvòd eam intimè perficit, ut & *transitivè*, qvod cum naturâ simul in alios propagari potest.

I. Qvia primus homo justitiam originalem, & immortalitatem, *per ipsam* accepit *creationem*, cùm imago DEI eidem concreata fuerit. *Gen. 1. v. 27.* Ipseq; conditus sit secundùm DEum in justitiâ & sanctitate verâ *Eph. 4. 24. Col. 3. 10.*

II. Qvia *rectitudo* illa *animæ* & *corporis* homini inde *ab ipsâ creatione* inerat, cùm *fecerit DEus hominem rectum Eccl. 7. v. 30.* non autem factum priùs rectitudine demum condecorarit. Unde ipsum Concil. Trident. Sess. 5. Can. 1. fatetur *Adamum per peccatum secundum corpus & animam in deterius mutatum.* At, qvi ita mutatur, is utiq; privatur tali qvalitate, qvæ intrinseca & connaturalis, non autem tantum adventitia fuerit.

III. Qvia in eo sita erat *perfectio hominis integri, qvà talis*, qvod fuerit *justitia originali* præditus & *immortalis*.

IV. Qvicqvid *hæreditarium est ex nativitate*, illud rectè *naturale* dicitur. At *justitia originalis & immortalitas* fuisset *talis* in statu integritatis. Ut agnoscit *Conc. Trid. Sess. 5. de Peccato orig.*

V. Ut *Bellarm. l. cit. c. 2.* concludit: *Imaginem DEI homini naturalem fuisse, qvia Deus creavit hominem ad imaginem suam*: Pariter etiam nos concludimus, similitudinem DEi, per qvam Bellarm. Justitiam & sanctitatem originalem intelligit, homini natu-

naturalem fuisse, qvia condidit qvoq; Deus hominem ad similitudinem suam. Gen. 1. 26. c. 5. 1.

VI. Accedit, qvod & homini post lapsum *reliqviæ imaginis divinæ* naturales sint, utpote *notitia insita legis divinæ*, qvæ *natura ineſt*. Rom. 2. v. 14.

VII. Si *peccatum originis naturale* dici potest post lapsum, utiqve & *justitia originalis* naturalis rectè dicetur fuisse homini ante lapsum. At verum prius. Eph. 2. v. 3. E.

VIII. Si homini primo non fuit naturalis justitia originalis & immortalitas, utiq; homo *in statu integritatis per naturam spectatus, ante & extra peccatum*, caruit justitiâ, nec immunis fuit à pravâ concupiscentiâ, vel etiam à morte. At consequens est absurdum.

IX. Qvod est *pœna peccati*, & homini nonnisi *post lapsum* convenit, illud non est *conditio naturæ* ante lapsum. At *mortalitas*, & *privatio justitiæ* originalis est pœna peccati, & homini nonnisi post lapsum convenit. Gen. 2. v. 17. & c. 3. v. 17. Rom. 5. 12. & c. 6. 23.

X. *Lombardus* lib. 2. dist. 16. *Henric. Gandav.* qvodlib. 6. q. 11. fatentur naturalem fuisse homini justitiam originalem, idq; probat ex eo *Gandavensis*, qvod, *ex sententia Theologorum omnium, homo propter Adæ peccatum non modo spoliatus sit donis gratuitis, sed etiam vulneratus in naturalibus.* Estius in loc. citat. Lombardi fatetur, *Thomæ & Scholasticorum communem eam esse sententiam, qvod justitia originalis fuerit donum naturale.* Conf. *Bellarm. l. c. §. Qvare &c.* Nec definire hanc potuit controversiam. Trident. Concil. tantum generaliter statuit *primum hominem in justitia & sanctitate à Deo constitutum fuisse. Sess. 5.* Can. 1. *Utrum autem in gratiâ creatus sit homo, an v. gratia creato superaddita fuerit*, haud decisum esse à Concilio, observat *Bannez* in Thom. p. 1. q. 93. art. 1. *Bonaventura 2. sentent. dist. 19. art. 3. q. 1.* h. m. colligit: *Si mors inerat homini contra naturam, immortalitas inerit ei per naturam.* Qvin & largitur *Bell.* lib. cit. c. 8. *qvod homini integre neq; interna, neq; externa principia mortem afferre potuerint*, ex

ex qvo itidem concludere licet, *qvod naturâ is fuerit immortalis.*

CONTROVERSIA II.

An concupiscentia prava in homine ante lapsum locum habuerit?

NOn rectè sentiunt de *concupiscentia* pravâ Pontificii, tum qvoad *hominem ante lapsum*, tum post lapsum. Nam *rebellionem carnis adversus spiritum, ex conditione materiæ originem trahere, eandemq; in homine, in puris naturalibus condito, futuram fuisse* asserit *Bell.* lib. cit. c. 6. Nisi sc. Deus *supernaturale justitiæ donum homini, ceu frenum, ac remedium, addidisset*; tribuitq; homini *in puris naturalibus condito morbum & langvorem, imò concupiscentiam pravam* c. 5. & 7. eamq; *concupiscentiam, & rebellionem carnis adversus spiritum, propriè peccatum esse* negat c. 7. *corruptionem denig; naturæ non ex alicujus doni naturalis carentia, neq; ex alicujus malæ qvalitatis accessu, sed ex solo doni supernaturalis amissione profluxisse, statuit* c. 5. Sed hæc commenta facilè refelluntur;

I. Qvia *status purorum naturalium* merè fictitius est, & mentalis saltim, non realis.

II. Concreata & naturalis fuit primis parentibus justitia originalis, non extrinsecus addita, ut anteà evictum.

III. Si è *conditione materiæ*, qvalis ea à Deo creata, *rebellio carnis adversus spiritum* originem traheret, Deus, materiæ opifex, causa ejusdem foret; qvia *causa causæ, in essentialiter subordinatis, est etiam causa causati.*

IV. *Rebellio carnis* non è materia, sed è *voluntate, liberiq; arbitrii abusu* redundat, cujus etiam πρώτον δεκτικόν est ipsa voluntas hominis, non verò *materia.*

V. *Morbus & langvor*, ut & concupiscentia prava, cum *naturâ rectâ & integrâ*, qvalis fuit hominis natura per creationem *Eccl.* 7. *v.* 30. nullatenus consistere potest.

VI. *Concupiscentiam pravam peccatum non esse* contradictionem implicat. *Prava* enim dicitur, qvia repugnat legi divinæ

vinæ. Omnis autem ἀνομία est *peccatum* 1. Joh. 3. v. 4.

VII. Similiter contradictionem involuit, *rebellionem fluere carnis adversus spiritum. quæ propriè peccatum non sit.* Quia. *rebellio carnis adversus spiritum*, est simul rebellio *adversus* DEum. Adde, quod Rom. 7. operosè doceatur, quod *ea concupiscentia verè peccatum* sit.

VIII. *Corruptio naturæ per lapsum facta tanta est*, fatente secundum *Concil. Trid.* Sess. 5. Can. 1. Bellarm. c. 7. *ut totus homo, secundum corpus & animam, per peccatum originis in deterius mutatus sit.* Non ergò è sola supernaturalis doni amissione redundare potuit.

CONTROVERSIA III.

Utrum peccatum originis mera sit privatio doni supernaturalis, an verò corruptionem habitualem importet?

QVod ad *hominem post lapsum*, errant primitùs *Pontificii* in eo, præsertim *moderni*, quod *peccatum originis per nudam privationem* definiant, *amissionem sc. doni supernaturalis*, quodque *concupiscentiam pravam post lapsum negent esse positivam qualitatem.* Bell. lib. 5. de amissione gratiæ c. 15.

Quanquam verò, juxta *Metaphysicam* ἀκρίβειαν, *propriè positivum* non esse peccatum originis, ipsimet admittamus, non tamen *in merâ carentiâ doni supernaturalis*, sed tum in *privatione naturalis rectitudinis facultatum animæ*, utpote *sapientiæ & justitiæ creatæ*, tum *in contrario habitu cæcitatis mentis, & injustitiæ voluntatis, viriumque animi insigni corruptione consistere* dicimus, quæ *corruptio habitualis positivi* nomine venire solet in Scholis Theologicis. Vid. de eo *Quæst. Vexat*; D. Meisneri q. 4. Describitur enim peccatum originis.

I. Non tantum στερητικῶς, quod *cor humanum careat sapientia & justitia Psal.* 14. v. 2. sed etiam θετικῶς, quod φρόνημα τῆς σαρκὸς sit *inimicitia adversus* DEum Rom. 8. v. 7. quod cor huma-

humanum *fraudulentum sit, & perversum* Jer. 17. v. 9. ut & *lapideum Ezech. 36. v. 30. & omne figmentum tantum malum sit. Gen. 6. v. 5. Et c. 8. v. 21.*

II. Homo totus, *quà per peccatum corruptus*, dicitur *caro* post lapsum *Joh. 3. v. 5. Vetus & carnalis Rom. 7. 17. Eph. 4. 22. animalis 1. Cor. 2. v. 14. Servus peccati & injustitiæ Rom. 6. v. 14. Joh. 8. v. 34. 2. Pet. 2. v. 19.*

III. Homo, qvà originali infectus peccato, *& mente & voluntate* totus repugnat Deo, *nec potest Deo subjici. De mente* vid. *Rom. 8. v. 7. 2. Cor. 10. v. 5.* de *voluntate Eph. 2. v. 1. Colos. 2. 23.*

IV. Concupiscentia originalis describitur ut *malum intimè adhærens, inhabitans Rom. 7. v. 21.* ut ἐυπερίσατος ἁμαρτία, *peccatum tenacissimè circumstans, Ebr. 12. v. 1.* & omnes vires occupans. *Rom. 3. 13. seqq.* qvæ utiq; aliqvid *positivi* inferunt.

V. Addimus testimonia *Lombardi* lib. 2. Sentent. dist. 30. *Bonaventuræ, Durandi,* ut & *Ægidii* in h. l. nec non *Thomæ* prima secundæ q. 87. artic. 7. qvi agnoscunt, *peccatum originis corruptum qvendam habitum esse.* Bellar. fatetur, *Lombardum, Henricum: Greg: Ariminensem, Johannem Dridonem* peccatum originis statuere *morbidam in anima qvalitatem, prava desideria perpetuò excitantem, Tannerus* tom. 2. Theol. Schol. Disp. 4. q. 2. *Cajetanum, Medinam, Zumelem, & Thomistas recentiores peccati malitiam positivam statuere* agnoscit.

CONTROVERSIA IV.

An peccatum originis sit veri nominis peccatum?

ERrant è Pontificiis non pauci, dum peccatum originis *non habere verè peccati rationem, sed tantum esse reatum, qvo posteri primorum parentum propter primævam transgressionem obstringuntur:* Peccatum originis nihil aliud esse, *nisi Adami peccatum posteris per imputationem communicatum* asserunt, ut *Card. Albertus Piggius* Contr. 1. de peccato Orig. & *Ambr. Catharinus* lib. de lapsi. c. 6. nec non *Johannes Faber Stapulensis* in

in Commentar. ad Rom. 5. *Ruardus Tapperus* Art. 2. de peccato Orig. p. 79. peccatum originis æqvivocè peccatum esse contendit. Qvem errorem hausére procul dubiò è lacunis Scholasticorum, è qvibus multi jam pridem contenderunt, peccatum originis non esse culpam, sed tantum reatum pœnæ propter culpam Adæ. Postmodum *Scotus*, *Biel. Durandus*, *Alexander Adensis*, eandem heterodoxiam propugnarunt.

Cæterum qvia non solùm apertis Scripturæ oraculis illa refragantur, qvæ testatur, qvod *in peccatis & in iniqvitatibus concipiamur*. Psal. 51. v. 7. *immundi simus* ex immundo procreati semine Job. 14. v. 4. *Caro de carne* nascamur Joh. 3. v. 5. qvæq; omnes homines, etiam infantes recens natos, sub peccato concludit *Rom. 11. v. 32. Gal. 3. 22. qui non peccarunt ad similitudinem peccati Adami Rom. 5. 15.* sed & in *Pelagio* jam olim damnata, & ab ipsomet *Concil. Trid.* reprobata, ut fatentur *Vega*, *Bellarm. Greg. de Valentia*, *Vasqvetz*, *Zumel*, aliiq; : idcircò non opus est eorundem operosa confutatione.

Id saltem monemus, qvod in eundem Pelagianismi labyrinthum sese præcipitent moderni Pontificii, cum *peccatum originis non mereri per se æternam mortem, aut etiam veniali peccato minus esse* (qvod mereri mortem æternam inficiantur) contendunt, ut *Costerus Jesuita*, *Card. Contarenus*, & *Bell. l. b. 6.* de amiss. grat. c. 4. §. 1. Unde communiter Pontificii negant, *parvulos non baptizatos pœnæ sensus æternæ subjici propter peccatum originis, eosqve tantum pœnam damni percipere fingunt.* Item dum ad peccatum propriè dictum τὸ ἑκούσιον *voluntarium*, qvod in *peccato originali* dari negant, reqvirunt; vid. *Bell. lib. 1. de amiss. grat. c. 11. & lib. 2. c. 7.* Ita enim colligimus; Omne peccatum propriè dictum est voluntarium, & per se meretur æternam mortem. At peccatum originis, juxta Pontificios, non est voluntarium, nec per se meretur æternam mortem; E. peccatum originis, juxta pontificios, non est Peccatum propriè dictum.

Deniq; cum *concupiscentiam post Baptismum peccatum pro-*

priè esse negent, juxta *Concil. Trident. Sess.* 5. *Can.* 5. qvî peccatum originis peccatum propriè dictum esse credere possunt? Qvandoqvidem *concupiscentiam ante Baptismum secundum se considerata eandem esse cum concupiscentia, qvæ post Baptismum in renatis remanet*, fateantur. *Hager.* collat. A. C. cum Concil. Trident. art. 2. Qvod semel est verè & propriè peccatum, non mutat naturam suam, sive remittatur, sive retineatur. Peccatum enim originis esse concupiscentiam *qvæst.* 3. probavimus, idq; professi sunt *Eccius & Mensingus in Coll. Wormat:* Ann. 1541. ut & autores libri Interim. Vid. *Cassand.* Consc. art. 2. p. 910.

Cœterum qvod non reqviratur ad peccatum, ut *voluntarium* sit è *definitione peccati*, 1. *Joh.* 3. *v.* 4. patescit; qvandoqvidem formalis ratio peccati eo absolvatur, qvod *sit aberratio à regula legis divinæ*, qvod etiam docet *Thomas prima secundæ q.* 21. *Art.* 9.

Peccati verò originalis pœnam esse *mortem æternam*, tùm *comminatio* divina docet, *Gen.* 2. *v.* 17. *morte morieris*, tum *demonstratio Apostolica Rom.* 5. *v.* 12. tum *peccati debitum stipendium Rom.* 6. *v.* 23. tum *legis divinæ maledictum Deut.* 27. 26. *Gal.* 3. *v.* 10. *Adde*, qvod pœna illa *damni*, post hanc vitam *sine pœna sensûs ignis infernalis*, merum sit commentum. Nam utut Scriptura gradus admittat tormentorum infernalium, certum tamen est è Scripturis, qvod *pœna æterna & visionis beatæ carentiam, & cruciatuum æternorum sensum* inferat, nec *medium detur inter vitam æternam*, & *ignem infernalem æternum Matt.* 25. *v. ult. Marc.* 16. *v.* 16. *Joh.* 3. *v.* 28. *Apoc.* 20. *v.* 15. *&* 21. *v.* 17. Unde *Greg. M.* Pontifex lib. 1. Moralium c. 10. docet, *qvantam originalis peccati esse æterna tormenta*, inqve eandem sententiam propendere *Greg. Ariminensem*, Johannem *Driedonem* fatetur *Bellar. lib.* 6. *de amiss. grat. c.* 1. Et *Becanus de Purgator. Calvinistic. c.* 9. *p.* 146.

Qvod deniqve *concupiscentia, qvæ post Baptismum* remanet, *verè peccatum* sit, tum apertè docet S. S. idqve sæpius *Rom.* 5. 7. *&* 8. *cap.* ut & *Col.* 3. 5. *Ebr.* 12. 1. 1. *Joh.* 1. 8. & nonnisi impie & αὐτοκατακρίτως sese opponit *Concil. Trid.* Cum fateri cogatur, *concupiscentiam ab Apostolo vocari peccatum*, & neget tamen esse; tùm

tum propugnat *Augustin :* dum concupiscentiam non solùm peccatum vocat, eò qvod pœna sit peccati, & causa peccati, qvos respectus solùm admittit *Concil. Trid.* sed peccatum est, inqvit, *qvia inest illi inobedientia contrà dominatum mentis l. 5. in Julian. c. 3. Tom. 7. c.* 1066. Qvanqvam verò alibi Augustt. neget esse peccatum, explicat tamen sese *l. 1. retract. c.* 15. se illud *præcipuè peccatum* intelligere, *qvod justa damnatio subsecuta est:* vel *qvatenus non punitur*, adeoqve *ratione dimissi reatus*, negare esse peccatum, non *suâ naturâ*. Fatetur *Augustt : ibidem, cujus concupiscentia reatus in Baptismate solvitur ejus infirmitatem manere :* fatetur *l. 6. Contr. Jul. c. 5. eum, qvi baptizatur, omni reatu omnium malorum carere, non omnibus malis ;* fatetur l. 1. de nupt. & concup. c. 25. *dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.* Qvod & docat l. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 39. unde c. 2. dist. 4. de consecr. ex Augustt. traditur, *in Baptismo concupiscentiam extingui non ut non sit, sed ut non obsit.* Addimus hisce suffragia, *Driedon. l.* 1. de grat. & lib. arb. *Soti* in 4. sent. dist. 12. q. 1. art. 7. qvi ait, *Est prorsus mortale peccatum. Certè insignis qvidem Theologus asserit, etiam in regeneratis manere peccatum, tametsi non imputetur, ait Cassand.* Oper. f. 911. *Anton. Marinar. Carmelita in Concil. Trident.* asseruit. *concupiscentiam eandem esse ante, & post Baptismum, & ex se peccatum esse, attestante D. Paulo, eam etiam in renatis pugnare cum lege DEI, cui qvicqvid repugnat, necesse sit peccatum esse. Petrus Svav.* in Hist. C. T. p. 195. *Thomas Henrici Jes.* in anat. A. C. Art. 2. c. 3. fatetur: *fomitem Concupiscentiæ peccatum dici, non tantum, qvod è peccato nascatur & ad peccata actualia instiget, sed etiam, qvia est inordinata dispositio ad rebellionem partium inferiorum animæ contrà superiores.* p. 43.

CONTROVERSIA V.

An Maria, mater Domini, in peccato originali concepta, eidemqve obnoxia fuerit?

REfert *Petrus Suavis in Histor. Concil. Trid. p. 199. Canonicos Lugdunenses Anno 1136. primum ausos fuisse in officia Ecclesiastica opinionem de immunitate B. Mariæ à peccato originali introducere. Sequentis verò seculi Doctores tum Franciscanos, tum Dominicanos, scriptis suis eam impugnasse. At Johannem Scotum Francisc. possibilem conceptionem B. Mariæ sine peccato originali adstruxisse. Monachos autem ordinis Minorum circa Annum 1370. (Franciscanos) Parisiis etiam contra Dominicanos, seu Monachos ordinis prædicatorum ipsam immaculatam conceptionem Mariæ propugnasse.* Superiori seculo Jodocus Clichtoveus, & Amb. Catharinus, peculiaribus scriptis eandem asseruerunt. Qvam sententiam etiam *præter Franciscanos Jesuitæ* hodie tuentur, *eamq; omnes insignes Academias non solum recepisse, sed publico & solemni juramento ejus definitionem hilari fronte suscipere, docet Augustinus Barbosa in remissionibus ad Concil. Trid. Sess. 5. v. 15. Paulus* V. Pontifex Romanus Anno 1622. prohibuit, *ne qvi ausint publicè asserere, qvod B. Virgo concepta fuerit in peccato originali*, qvod decretum successor ejus *Greg. XV.* extendit etiam *ad privata colloqvia, & scripta*; nec in *privatis sermonibus* qvoqve, & scriptis id asseratur &c. Qvod autem Maria, θεοτόκος in originali peccato concepta, non autem ab eodem præservata fuerit, nec à peccati originalis contagio & fomite pravæ concupiscentiæ immunis exuterit, docent.

I. *Generalia Scripturæ effata*, omnes homines, sine ulla exceptione, sub peccato concludentia, *Rom. 3. v. 22. c. 5. v. 12. c. 11. v. 32. Gal. 3. 22, &c.* Solus Christus ἀναμάρτητος hoc privilegium habet, qvod *sit à peccatoribus separatus Esa. 53. v. 6. Dan. 9. v. 25. Luc. 1. 35. 2. Cor. 5. v. 21. Ebr. 7. 26.*

II. *Dicta universalia, de conceptione omnium hominum in originali peccato Job. 14. v. 14. Joh. 3. 6. Eph. 2. v. 3.* Qvicunqve caro è carne nascitur, vel carnali modo propagatur, is peccato originali est, obnoxius, non verò ab ejusdem contagio immunis. At de Maria verum prius. E. & posterius.

III. *Mariæ peccata actualia*, qvæ è peccato originali, ceu fonte &

te & causa, propullulant. Ubi n. *effectus* dantur, ibi & *causa* concedenda est. Ita leguntur passim infirmitates peccaminosæ Mariæ descriptæ *Matt.* 12. *v.* 46. *Marc.* 3. *v.* 20. *Luc.* 2. *v.* 43. 49. *Et* 8. *v.* 30. *Joh.* 2. *v.* 4.

IV. Peccatorum castigationes. Qvum enim Maria cruci & morti, qvæ nonnisi ob peccata infligitur, subjecta fuerit, utiqve necesse est, eam non fuisse immunem prorsus à peccatis.

V. *Unica salutis ratio.* Sine dubio enim Maria eâdem ratione salutem adepta est, qva reliqvi mortales, cum non sit nisi *unica salutis via & ratio Joh.* 3. *v.* 16. *Act.* 4. *v.* 12. *Et* 10. *v.* 43. *Rom.* 3. *v.* 22. 1. *Cor.* 3. *v.* 11. Unde agnovit Maria *Deum salvatorem suum Luc.* 1. *v.* 47. Salus autem obtingit hominibus *remissione peccatorum, & fide in Christum.* Ubi verò remissio peccatorum, & fides in Christum datur, ibi & peccata, qvæ remittuntur, & à qvibus sangvine Christi ac per fidem in Christum purificamur locum habent. Conf. *Thom.* 1. 2. *qvæst.* 81. *art.* 3.

VI. *Sententiam de conceptione Mariæ in originali peccato omnium S. Patrum unanimem esse doctrinam*, propugnarunt Dominicani. Vid. *Luc. Vadding. legat. p.* 116. Bernhardus ipse, etsi Mariam in utero prius sanctificatam dicat, qvam natam, negat tamen absqve peccato originali conceptam (cujus fomes non tollitur, sed imminuitur tantum in sanctificatione, sublato reatu) *nisi forte qvis dicat de S. S. eam, & non de Viro conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum*, ait Epist. 174. ad Lugdun. Provocat ad Patrum doctrinam Col. 603. *Nunqvid Patribus doctiores aut devotiores sumus? &c.*

VII. Qvibus accedunt suffragia *Guidonis de Perpiniano Carmelita.* circa Annum 1320. ut & Lombardi 3. sentent. *dist.* 3. *Thomæ, Bonaventuræ. Capreoli, Gregorii Ariminensis*: itemqve *Monachorum Dominicanorum*, qvi etiam Hæreticos esse docuere publicè eos, qvi *tenent B. Mariam esse sine peccato originali conceptam*, teste *Legato Hispanico*, qvi propter hanc controversiam jussu *Philippi III. Hispaniæ Regis* missus fuit ad *Paulum V.* vid. *Legatio Philippi III. & IV. à Luca Vaddingo Lovanii* Anno 1624. edita.

edita. *Cajetani* item *Cardinalis*, *Dominici Bannis*, & aliorum. Adde, qvod maximè diſcrepent inter ſe adverſarii: qvidam *præſervatam* dicunt *Mariam à peccato originali*, non autem *à debito contrahendi originale peccatum immunem*; qvidam etiam *immunitatem à debito* adſtruunt, utpote *Valent. Gerardus* in Triumph. B. Virgin. *Nicol. Cuſan. & Angelus de monte Piloſo Minorit.* qvidam etiam præter *immunitatem illam* addunt, qvod *concepta ſit Maria in gloria*, eo trahentes illud Prov. 8. 22. *Dominus poſſedit me &c.* qvod commentum nuper propugnaſſe fertur *Joh. Baptiſta à Campania Epiſc. Tortoſæ*, *idqve* aſſeruit peculiari ſcripto *de Eminentia Virginis Franc. Guerra Archi Epiſc. in Cades &c.*

CONTROVERSIA VI.

An homo poſt lapſum in ſpiritualibus habeat liberum arbitrium, qvod à DEO excitatum cooperetur aſſentiendo, & ſe diſponat ad juſtificationis gratiam?

ITa definivit *Concil. Trid. Seſſ. 6. can. 4.* qvod Andradius lib. 4. orthod. explicat. ſic declarat; qvod *naturales vires & facultates liberi arbitrii ad inchoandas & efficiendas ſpirituales actiones implicatæ qvidem ſint laqveis peccatorum, non tamen extinctæ, uti qvi ferreis ſoleis devinctus eſt, inſertam adhuc habet ambulandi vim, etſi eam neqveat exerere.* *Coſterus in Ench.* c. de lib. arb. p. 211. adhibet ſimile *de homine in foveam prolapſo, & ſecurè dormiente, & amico eum excitante, manum vel funem ei porrigente*, cui confert *ſpiritum ſanctum*; *adeoq;* ut homo ille funem apprehendit, & qvicqvid in ſe eſt, præſtat, non patiendo tantum, ſed cooperando, donec tandem è foveâ extractus lumine ſolis colluſtretur, ſic Liberum Arbitrium cenſet, non ſuſcipere tantum, pati, & agitari, ſed cooperari ac præparare ſe, ut tenebricoſa fovea homo per converſionem educatur. *Bell.* lib. 6. de gratia c. 15. utitur ſimili à *potentia videndi.* *Abſente ſpecie ſenſibili habet utiqve homo potentiam & libertatem videndi.* Non enim ea ſpecies cauſa

eſt

est libertatis seu potentiæ videndi. Tantum potentia remota est & libertas ligata, donec accepta specie potentia perficiatur, & in actum prodire possit. Idem lib. 4. c. 15. declarat cooperationem liberi arbitrii cum gratiâ Dei simili à *duobus viris* desumto, *qui simul portant ingentem lapidem*, ubi uterq; concursum suum liberè adhibet, ita ut, si alter nolit concurrere, opus non fiat; facitq; *duas partiales causas* conversionis, *gratiam DEI & voluntatem hominis*. Paucis; statuunt Pontificii, & cumprimis *Jesuitæ naturâ homini ineſſe libertatem, & potentiam activam ad eligendum bonum supernaturale, sed eam impediri, donec DEI gratia naturam adjuvet, impedimentum removeat, facultatem insitam eliciat &c.*

Quod verò homo ante sui conversionem non habeat vires & facultates ullas in rebus spiritualibus, nihilque liberi arbitrii, viribus cooperari possit ad sui conversionem, id è sacris literis hisce confirmare licet argumentis.

I. Ab *hominis non renati descriptione*; Quod ipse totus *caro* sit, & *carnalis, venundatus sub peccatum, & servus peccati Joh. 3. v. 6. Rom. 7. v. 15. c. 6. v. 16. 19. 2. Pet. 2. v. 19.* quod *homo ante regenerationem* prorsus *mortuus sit in peccatis Joh. 5. v. 25. Eph. 2. v. 1. Colos. 2. v. 13.* Quicunque enim non est, nisi caro & carnalis, ille non potest in spiritualibus quicquam efficere. Qui servus est, & mancipium peccati, is nō potest semetipsum à peccato vindicare ullatenus. Qui mortuus est spiritualiter, non valet sese excitare à morte in vitam spiritualem, nec quicquā ad sui vivificationem conferre potest, quemadmodum homo mortuus nihil prorsus ad sui suscitationē conferre valet.

II. *A Facultatum hominis ante conversionem ineptitudine.* Quandoquidem homo, quà *mentem*, prorsus cœcus sit in spiritualibus post lapsum 1. *Cor. 2. v. 14. Eph. 4. v. 16. c. 5. 6.* quà *voluntatē*, prorsus refractarius, ut Deo se non possit subjicere *Gen. 6. v. 5. Rom. 3, 11. c. 8. v. 6.* Qui autem mente cœcus est, is non potest, antequam spiritualiter illuminatus fuerit, res spirituales intelligere. Qui corde refractarius est, & aversus à Deo & à bo-

no, ita, ut semper tantum malum cogitet, is non potest semet ipsum ullatenus ad Deum convertere & ad bonum, aut ad illud efficiendum ex sese aliquid conferre.

III. E *causarum conversionis inductione.* conversionis *causa efficiens principalis* solus DEUS est, *Instrumentalis* verbum DEI, & Sacramenta à Deo instituta; Nullum autem locum hic habet *voluntas humana*, nec uspiam causis conversionis accēsetur: quin imò conversionis opus *soli DEO* diserte tribuitur *Deut.* 28. *v.* 3. *Psal.* 51. *v.* 12. *Et* 119. *v.* 34. *Ezech.* 11. *v.* 19. *Et* 36. *v.* 36. *Act.* 26. *v.* 17. *Et* 5. *v.* 14. 2. *Cor.* 4. *v.* 8. Quicquid enim soli & unico Deo vindicatur in Scripturis, id hominis libero arbitrio tribuendum non est, sive ex parte, sive ex toto.

IV. E *conversionis definitione.* Ea enim ita definitur in sacris, quod *DEus mentes nostras illuminet Eph.* 1. *v.* 16. *Et* 5. *v.* 6. quod *corda aperiat Act.* 16. *v.* 14. quod *eadem immutet, circumcidat, emolliat, convertat. Deut.* 30. *v.* 6. 2. *Paral.* 34. *v.* 27. *Luc.* 1. *v.* 17. quod *auferat corda lapidea & det corda carnea. Ezech.* 11. *v.* 19. *Et* 36. *v.* 36. quod *creet corda nova Psal.* 51. *v.* 19. quod *novas creaturas nos efficiat Eph.* 2. *v.* 10. quod *homines regeneret* 1. *Pet* 1. 3. *Joh.* 3. *v.* 5. quod *excitet à mortuis Eph.* 5. *v.* 14. quod *vivificet Eph.* 2. *v.* 5. At quis admittet, hominem non renatum *semetipsum regenerare, illuminare, cor suum immutare, creare, vivificare, à mortuis excitare?* Creatio quippe, excitatio à mortuis, naturæ immutatio, opera sunt solius Dei.

V. *A gloriæ omnis exclusione:* Quia si homo viribus liberi arbitrii ad sui ipsius conversionem aliquid conferret, haberet utique homo, de quo gloriari posset. At non habet homo quicquam, in quo possit gloriari 1. *Cor.* 1. *v.* 31. *Et* 4. *v.* 7. *E.*

VI. *A negata naturali ad bonum inclinatione.* Si enim homo tantùm ad malum propensus est, utiq; ad sui ipsius conversionem concurrere non potest. At verum prius *Gen.* 6. 5. *Rom.* 5. 8. *Eph.* 2. 2, 3. *c.* 4. 22, *Joh.* 8. 36. *Rom.* 6. 20.

VII. *Ab axiomate Christi universali Joh.* 15. 5. *Sine me nihil potestis. Non dixit*, ait, *August.* tract. 81. in Joh. *Sine me parum*

pa-

potestis, sed nihil potestis. Quomodo palmes, qui præcisus à vite, nullam potentiam neque remotam, neq; proximam habet ferendi uvas, quo simili hic Christus utitur *v.* 4. Ideoque meritò reprobanda sententia Pontific. non omnem potentiam ad supernaturale bonum, sed solum exercitii & exercitio proximam homini derogantium, quos apertè Christo obloqui patet. Confer. *Eph.* 2. 1. 1. *Cor.* 2. 14. *Phil.* 2. 13.

VIII. Accedunt suffragia *Richardi de S. Victore, Lombardi* lib. 2. sent. dist. 25. qui asserit *hominem non posse non peccare ante reparationem gratiæ, Thomæ Bradvardini*, ut & *Gregorii Ariminensis, qui Scholasticos reliquos in doctrina de libero arbitrio, ceu hæresi Pelagianæ, addictos* accusat, itemq; *Ambrosii Catharini*, qui contra *Dominicum à Soto* defendit, *quod nemo in statu naturæ lapsæ absq; auxilio Dei speciali possit ullum bonum facere*, provocans non tantum ad *Augustini*, sed & *Fischeri, Rofensis Episcopi, Capreoli, & Ariminensis*, consensum. *Johannis Feri*, qui *naturam ex se non alios, quàm malos fructus proferre* asseruit, quæ verba in *indice expurgatorio Hispanico* fol. 123. deleri jubentur. Itemq; *Contareni Cardinalis*, qui in *tract. de prædestinat: Romano Catholicos in Pelagii hæresin incidere* fatetur. *Andreæ Vegæ*, qui lib. 6. in Concil. Trid. c. 8. *Gratiam operantem* ex August. describit, *ad cujus productionem solus Deus Physicè operatur, homo autem passivè omnino se habet. Wilhelmi Estii*, qui 2. sent. dist. 26. probat, *non posse hominem se ad gratiam disponere.* Adde, quod Pontificii tempore August. Conf. exhibitæ *Art. cul.* ejus 18. suo comprobarint suffragio, quodq; *Thomæ sectatores in Hispania*, cumprimis & *Belgio* contendant adversus *Jesuitas*, DEUM *hominum voluntates ad suos actus prædeterminare, prædefinire, maximè, in operibus gratiæ*, ita ut Jesuitarum etiam sententiam contrariam, quæ *posità DEI gratia, arbitrio indifferentiam ad utrumque extremorum, qua possit velle, seu agere bonum, tribuit. Domin. Bannes*, aliiq; apud *Suaretz.* l. 3. de auxil. div. grat. c. 7. utpote *Franc. Cumel, Medina, Marsilius*, non dubitent *Pelagianam* vocare. Eadem est *Franc. Sylvii, Didaci Alvarez, Tranensis Archi-Episcopi,*

Casparis Ram Professoris Oscensis, Petri Ledesma Professor: Salmantic. Johannis Matth. Rispolis, Pauli Benni, & recentiorum Thomistarum communis sententia, ut inquit *Tannery* Tom. 2. Th. Scholast. disp. 6. q. 2. dub. 3. n. 43. qui proinde contendunt Tridentinum Concilium, *quando de libertate arbitrii loquitur, loqui in sensu diviso*, quando abstrahitur à gratia divina, *non in sensu composito*, ita ut, posita etiam gratiâ divina, libertatem seipsam determinandi relinquat voluntati humanæ, & indifferentiam, qua possit velle & eligere bonum, tantum abest, ut admittant hanc indifferentiam, seu libertatem arbitrii, *antequam ponatur hæc gratia*.

CONTROVERSIA VII.

An gratia, quâ justificamur, sit tantum favor DEI?

ANathema dicit id asserentibus *Concilium Trid.* Sess. 6. can. 11. *Catechismus* verò *Tridentinus* definit gratiam illam p. 310. *quod sit qualitas in anima hærens, ac veluti splendor quidam, & lux animarum nostrarum, maculas omnes delens, ipsasque animas pulchriores & splendidiores reddens.* *Bell.* lib. 1. de Grat. & arbitr. c. 3. *communem Theologorum sententiam esse*, ait, *gratiam esse habitum supernaturalem, à Deo nobis infusum, quo anima exornatur, & perficitur, adeoq; justa redditur.* c. 6. non *distingui eam ab habitu qualitatis, disputat*; lib. 2. de Justific. c. 3. *Gratiam justificantem non esse solùm favorem, sed donum in anima inhærens*, asserit.

Quanquam verò non diffiteamur, quandoque *gratiam Dei* Metonymice accipi pro *donis gratiæ*, eam tamen gratiam, quâ justificamur, aliam esse negamus, quam gratuitum Dei favorem, & misericordiam.

I. Quia nusquam, ubi de *gratia justificante* sermo est, vox *gratiæ* accipitur pro *donis & effectis gratiæ*, *vel gratiâ gratis datâ*, quam vocant. Locum neunum quidem proferre possunt adversarii.

II. Quia *in propria sede* hujus doctrinæ gratia DEI nihil aliud

aliud notat, quam *gratuitum DEI favorem & misericordiam*, *Rom. 3. v. 24. Eph. 2. v. 8. Tit. 3. v. 7.*

III. Quia *gratia, quâ justificamur*, nuncupatur *misericordia Eph. 2. v. 4. Tit. v. 5. 3. 1. Petr. 1. v. 3.* Conf. *Matt. 18. v. 27. 33.* φιλανθρωπία *Tit. 3. v. 4. dilectio & charitas Dei Joh. 3. v. 16. Eph. 2. v. 4. Joh. 4. 4. v. 9.* quæ certè non notant donum aliquod inhærens in nobis, sed favorem solùm DEI gratuitum ergà nos.

IV. Quia χαρίζομαι, unde χάρις dicitur, proprie est *gratificari & condonare*, non autem notat *justitiæ habitum infundere Luc. 7. 42. 2. Cor. 2. v. 9. Eph. 1. v. 13.*

V. Quia *gratia*, quâ justificamur, opponitur *operibus, legi, merito, debito, Rom. 3. v. 21. Et 4. v. 4. 5. 16. Et 6. v. 14. Et 11. v. 6. Gal. 2. v. 21. Eph. 1. v. 5. Et 2. v. 8. At gratia gratis data* Pontificiorum non opponitur *Legi, operibus, merito, debito*, imò *infusus ille justitiæ habitus*, secundum Bellarminum, & alios, nihil differt à *charitate*, quæ opus est & impletio legis *Rom. 13. v. 11.*

VI. Eâ gratiâ justificamur, quâ *electi sumus ad æternam vitam Eph. 1. v. 5.* At hæc est gratuita Dei misericordia, non verò justitia, charitasque nobis infusa *Rom. 9. v. 11. Eph. 1. v. 4.* quem locum Bellar. ipse *de favore DEI* exponit lib. 1. de grat. & lib. arbitr. c. 7.

VII. Cum Paulus *Rom. 5. v. 20.* ait: Ubi *abundavit delictum, ibi superabundavit gratia*, loquitur sine dubio de gratiâ, quâ justificamur. At perabsurdè ibi intelligitur *justitia infusa*. Quid enim, *an superabundat justitia infusa, ubi abundat delictum?*

VIII. Accedunt deniq; suffragia adversariorum. *Scotus & asseclæ ejus* docent, *posse Deum justificare hominem absq; habitibus infusis per solam condonationem peccati, quam sententiam omnium Theologorum esse asserit Johannis Medina in Primam Secundæ q. 110. Art. 2. Durandus, Occam, Dominicus à Soto gratiam gratum facientem* negant esse *qualitatem aliquam inhærentem, sed dilectionem & favorem Dei. Gabriel. Biel. 2. Sentent. dist. 26. gratiam*, quâ justificari dicimur *Act. 15. v. 11. Rom. 3. v. 21. de gratiosa DEI voluntate* explicat. *Albert. Piggius Card.* lib. 5. de Liber. Arbitr.

explodit prorsus *qualitatem justitiæ infusam, sive eadem dicatur cum habitu charitatis, sive diversa ab eadem, qua justitia illa* asseritur, ceu merum commentum. Quid? quod etiam *Cornel. à Lapide*, ut & *Guilhel. Estius, Comment. Tit. 3. v. 4.* fateantur, *vocem gratiæ in verbis*, justificati ipsius gratia, non *significare donum infusum, sed opponi nostro merito, atq; idem esse; quod gratis.*

CONTROVERSIA VIII.

An justificatio nostra consistat in expulsione peccatorum, & infusione justitiæ, an verò in peccatorum remissione, & imputatione justitiæ Christi?

CConcil. *Trid.* Sess. 6. c. 7. *formalem causam justificationis nostræ* docet *esse justitiam DEI, qua nos Deus justos facit, quâ videl. ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ*: adeoque definit *Can. 7. justificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed sanctificationem, & renovationem interioris hominis, per voluntariam gratiæ, & donorum susceptionem, unde homo ex injusto fiat justus. Bell.* lib. 2. de justif. c. 2. asserit, *nos justificari formaliter propter novitatem nobis inhærentem, non propter meritum Christi, quod inhærere non potest.* Causam itaque formalem *Justificationis intrinsecam Bellarminus* docet esse *ipsum habitum charitatis nobis infusum* lib. 1. de Just. c. 2. *Justitiam verò Christi non esse nisi formalem extrinsecam, vel exemplarem causam*, imò, *fieri non posse, ut justitia Christi nobis imputetur*, contendit lib. 2. c. 2. quam *imputationem* exsibilat quoque *Andradius* in Def. Concil. Trid. pag. 477. *Bailius* in Catech. contr. tr. 4. q. 2. *justitiam imputatam* vocat *justitiam incrustatam. Cornel. à Lapide in Eph. 4. justitiam larvatam.* Quocirca, præeunte Bellarmino lib. 2. de Just. c. 2. ita explicant *plerique* moderni Papistæ sententiam Concilii Trid. Sess 6. c. 10. quod absolutè definierit, *non justificari hominem formaliter justitiâ Christi*; denique *justificare nos Christum ex propria sententiâ*

ita

ita declarat, quod id fiat *delendo peccata*, & *infundendo gratiam*, *Bellar.* lib. 2. c. 3. de Just.

Duo ergò nobis hîc agenda. I. Refellenda *Pontificiorum* opinio de causa formali Justificationis nostræ. II. Asserenda fides *Ecclesiæ Catholicæ*, quâ credimus justificationem nostram formaliter sitam esse in remissione peccatorum, vel *justitiæ nostræ non imputatione & obedientiæ Christi imputatione*. *Illa* reprobatur hisce argumentis.

I. Vox justificationis in hoc articulo, nec nuspiam in scripturis ita accipitur, ut inferat *justitiæ infusionem*. Nullum hic proferre possunt exemplum adversarii.

II. *Justificatio* in Scripturis non describitur per modum actionis physicæ, qua *peccata expellantur*, & *justitia introducatur*, velut in *calefactione* pulso frigore introducitur calor, sed per modum *actionis forensis & judiciariæ*, ubi Deus *Judex* peccata remittit, homo *reus*, *lex* condemnans, *tribunal Justitiæ*, Christus *Mediator* sistitur, & *appellatio fit à Justitia ad gratiam*, intervenit παράκλησις, & *intercessio Christi Mediatoris*, sequitur deniq; *absolutio à delictis propter Christum*, quæ *est ipsa justificatio*; unde non diffitentur *saniores* Pontificii, justificationem *sensu forensi* accipi in hoc articulo fidei, ejusdemq; sede propria, utpote *Lombardo*, *Vega*, *Pineda*, *Toletus*, aliique.

III. Si justificamur *gratis*, & *ex gratia*, utiq; non datur quicquam in nobis inhærens, ob quod justificemur, alioquin non merâ gratiâ, sed *propter inhærentem novitatem* justificamur. At verum prius *Act. 15. v. 11. Roman. 3. v. 24. Et 11. v. 6. Gal. 2. 20. Tit. 3. v. 7.*

IV. Si justificatur homo *sine operibus*, uiq; non justificatur formaliter ob *novitatem inhærentem*, vel *justitiam infusam*, quia non *opera* tantum *externa*, sed *virtutes* etiam *interiores* nomine operũ excluduntur ab actu justificationis. At verum est prius *Rom. 3. v. 20. Et 4. v. 2. Gal. 2. v. 16. Eph. 2. v. 8. Phil. 3. v. 9. Tit 3. 5.*

V. Quod pertinet ad Legem, ea non justificamur coram Deo, *Rom. 3. v. 21. Et 4. v. 12. Gal. 2. v. 21.* At *justitiæ*, vel *charitatis habitus*

habitus pertinet ad legem, non minùs quàm *actus justitiæ, & opera quævis bona*. E.

IV. Quicquid opponitur justitiæ fidei, id non est vera coram Deo consistens justitia. *Rom. 10. v. 4. Phil. 3. v. 9.* At virtutes interiores, habitq; justitiæ & charitatis in nobis existentes opponuntur justitiæ fidei, quippe quæ non est *propria nostra justitia, Rom. 10. v. 3. Phil. 3. v. 9.* E.

VII. Ea justificamur ratione, qua *Abraham justificatus fuit*, At hic justificatus non fuit *per inhærentem justitiam Rom. 4. v. 3.* E. neq; nos per eandem justificamur.

VIII. Consequens non est causa formalis antecedentis. At *infusio justitiæ & charitatis*, est consequens justificationis, quia illa infunduntur justificato, vel Deo jam reconciliato; non autem justificando & adhuc reconciliando.

IX. Justitia coram Deo valens est *perfecta, & pura* justitia. At inhærens justitia non est perfecta, neq; pura, sed imperfectionib9 obnoxia, & immunditiei. *Rom. 7. v. 14. Jac. 3. v. 2.* E.

X. Si per inhærentem justitiam formaliter justificaremur, haberemus utiq;, *de quo gloriaremur*. At justificatio nostra ita fit, ut nihil prorsus habeamus, de quo gloriari possimus. E.

XI. Si justificatio nostra consistit in *peccatorum non imputatione, tectione, & remissione*, utiq; formaliter ea sita non est in *peccatorum eradicatione, & justitiæ infusione*. At verum est prius, ut docet Apostolus *Act. 13. v. 38. Rom. 3. v. 23. Et 4. v. 5.* & fatetur ipse *Bell.* lib. 1. de Pœnit. c. 10. & lib. 2. de Just. c. 13.

XII. Adde, quod falsum sit, *peccata in hac vita prorsus eradicari & exstirpari*, cum etiam in renatis adhuc supersit radix peccati, *prava concupiscentia. Rom. 7. v. 14. & seq. Gal. 5. v. 13. Jac. 1. v. 14.*

XIII. Deniq; adjicimus consensum *Scholasticorum*, quorum non paucos conspirare in hanc sententiã, ait Vasquetz disp. 204. cap. 1. *nihil nobis inesse sive habitum, sive operationem, quod suapte natura possit justificare animam, sed opus esse favore Dei remittentis nobis peccatum*, unde consequi censet, *totam justificationem nostrã in favorem, ut in formalẽ causam revocari*, in quam

in qvam sententiam consentire *Scotum*, fatetur, *Gabrielem*, *Richardum*, *Occanum*, *Bonaventurâ*, *Durandum*, *Petrum Aliacensem*, ut & è schola Thomæ *Victoriam*, *Canum* aliosq; *recentiores Thomistas*. *Casp. Contar.* l. de Justit. *Hæc nostra* [*inhærens*] *justitia est inchoata*, *& imperfecta*, *qvæ tueri nos non potest*. *Idcircò in conspectu DEI non possumus ob hanc justitiam nostram haberi justi & boni*, *qvemadmodum oporteret filios Dei esse bonos & sanctos*, *sed justitia Christi nobis donata est vera & perfecta justitia &c.*

Qvod ergò *ad fidem nostram.*

I. Certum est describi justificationem in Scripturis per *remissionem*, *condonationem*, *nonimputationem*, *tectionem peccatorum Luc. 18. v. 13. Act. 13. v. 38. Rom. 3. v. 25. Et 4. v. 5. 2. Cor. 5. v. 19.*

II. Justi dicimur constitui *per obedientiam vel justitiam Christi Rom. 5. v. 18.* E. per eandem justificamur formaliter; Per qvod enim justi constituimur coram Deo, per id justificamur.

III. Christus insuper factus est nobis *justitia à DEO 1. Cor. 1. v. 30. ut nos* redderemur in *ipso justitia 2. Cor. 5. v. 21.* unde dicitur ipse *justitia nostra Jer. 23. v. 5.*

IV. Si Christus *legis complementum est ad justitiam omni credenti*, utiq; obedientia Christi, qvâ legem complevit, in justitiam cedit per fidem credentibus, eaq; unicè erit justitia, qvâ coram Deo consistimus, id qvod docet Apostolus, *Rom. 10. 3.* ita, ut *tollere hanc justitiam adstruat*, qvi *propriam stabiliunt justitiam*, eâq; justificari volunt.

V. Fides, qvæ fertur in Christum, ejusqve justitiam & obedientiam, imputatur in justitiam non *per se*, qvâ *actus*, vel *opus nostrum est*, (cum *non operanti*, *sed credenti fiat imputatio*) sed *relativè & ratione objecti*, qvâ apprehendit justitiam Christi *Rom. 4. v. 5.*

VI. Ut Christus factus est pro nobis peccatum, qvia imputata ipsi sunt peccata nostra, ita nos reddimur in ipso justitia, & justificamur per fidem in ipsum, qvia imputatur nobis Christi justitia 2. Cor. 5. v. 21.

VII. Eâ justitiâ coram DEO justificamur, qvâ *Paulus* justificatus fuit. At is non *propriam habens suam justitiam, qvæ est ex lege, sed eam, qvæ est per fidem Christi, justitiam, qvæ ex Deo est, in fide, vel per fidem*, justificatus est, qvæ nulla alia est, qvam ipsa justitia, Christi. Qvæ enim hîc vel cogitari potest alia justitia, qvam vel *nostra* justitia vel *Christi?* Cum ergò *illa* excludatur, *hæc* unicè relinqvitur in justificatione nostrâ. Phil. 3. v. 9.

VIII. Si Christus *pro nobis* implevit legem obedientiâ suâ perfectissimâ, certum est, obedientiam & impletionem illam legis nobis imputari, & abscribi, cum *pro nobis* præstita sit, id est, *vice nostri*, ut nobis imputari possit. At verum est prius. Jer. 23. v. 5. Matth. 5. v. 17. Rom. 8. v. 4. Et. 10. v. 3. Gal. 4. v. 4. E.

IX. Justitiam, qvâ coram DEO consistimus, oportet esse *purissimam, omnibus q; numeris absolutam & perfectam. Jac.* 2. v. 10. Deut. 27. v. ult. At qvænam est ita pura & perfecta justitia, præterqvam unius Christi?

X. Tandem adjungimus suffragia Pontificiorum. Fatentur enim Vega lib. 7. de Just. c. 21 & lib. 15. c. 20. ut & *Stapletonus* lib. 7. de Just. c. 9. *qvosdam Catholicos doctrina & pietate insignes statuere, tantum per imputationem justitiæ Christi nos justificari coram DEO, utpote Colonienses Canonicos, & autores libelli oblati à Cæsare collocutorib. protestantibus in Comitiis Ratisb. Anno 1541. Addit Stapletonus, ab hac doctrina qvo-q; non abhorrere Stapulensem, Ferum & Peraldum Bell. lib. 2. de just. c. 1.* fatetur *Alb. Piggium & Autores antididagmatis Colonienses agnoscere justitiam nostram nunqvam posse esse talem, ut judicium DEI sustineat, ideò necessariam esse imputationem justitiæ Christi. Piggius lib. de Fide & Just. Contr. 2. p. 47.* quæritur, *hanc primam doctrinæ Christianæ partem de justificatione obscuratam magis, qvam illustratam esse à Scholasticis*, aitq; *unâ Dei in Christo nos niti posse justitia, unâ illâ justos esse coram Deo, destitutos propria justitia. In illâ*, inqvit, *Christi justitiâ justificamur coram Deo, non in nobis, non nostrâ, sed illius justitiâ, qvæ nobis cum illo jam communicantibus imputatur.* Item; *in Christi obedientiâ qvod nostra collocatur justitia,*

stitia, inde est, qvod nobis illi incorporatis, ac si nostra esset, accepta ea fertur, ita ut ea ipsa etiam nos justificemur. Cardinalis Cōtarenus lib. de Justif. edit. Parisiens. p. 592. docet, *piè & Christianè dici, qvod debeamq; niti, tanqvam re stabili, qvæ certò nos sustentat, justitia Christi nobis donata, non autem sanctitate & gratia nobis inhærente. Hæc enim nostra justitia est inchoata & imperfecta &c.* additq; *Catholicos & Protestantes in hac sententia convenire. Greg. Cassander* utramq; conjugit justitiā *consult. Art. 4. Extra cōtroversiam esse ait, justitiam illam, qva nos justificamur, consistere in remissione peccatorū i.e. cùm propter meritū passionis Christi nobis peccata nō imputantur, qvod ipsum Christi meritū ad remissionem peccatorum nobis imputari ait.* Cæterum negat in *remissione sola peccatorum justificationem consistere, sed etiam in renovatione interioris hominis. Bellar.* lib. 2. de Just. c. 10. ipse fatetur, *dici Christum justitiam nostram, qvoniam satisfecit Patri pro nobis, & eam satisfactionem ita nobis donat & communicat, cùm nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia dici possit. Nam etiamsi per justitiam nobis inhærentem verè justi simus, tamen non per eam satisfacimus DEO pro culpis nostris & pœnâ æterna, sed illa justitia inhærens cum remissione culpæ & sempiternæ pœnæ effectus satisfactionis Christi, qvæ, ut dicit Conc. Trid. Sess. 6. can. 7. nobis in justificatione Christi confertur, & applicatur, & hoc modo non esset absurdum, si qvis diceret nobis imputari justitiam Christi & meritum, cùm nobis donantur & applicantur, ac si nos ipsi DEO satisfeci ssemus, modò non negetur esse in nobis præterea justitiam inhærentem, eamq; veram & absolutam esse justitiam.* Hæc Bellar. ubi observandum I. qvod fateatur, *dici posse imputari nobis justitiam Christi.* Qvod etiam *Vega* professus est in Conc. Trid. *justitiam Christi imputa i nobis in meritum & satisfactionem.* P. Svavis l. 2. H. C. T. p. 220. Cur ergò exagitant tantopere adversarii fidem nostram, de imputata Christi justitia? II. *Inhærentem etiam justitiam non negari ab Orthodoxis*, sed hoc negari, qvod ea sit *absoluta & perfecta*; hoc negari, qvod *ea niti possimus*

simus & consistere coram DEO, qvæ omnia etiam negant *Piggius & Contarenus*; aliiqve suprâ annotati. Connexa qvidem est *justitia inhærens cum fide, & imputata Christi Justitiâ*, sed propter *hanc* solam, non vero propter *illam* justificamur coram DEO, imò *illa* est justificationis effectus, & *seqvitur justificatos*, non autem *præcedit justificandos*. III. Christus non tantum est Mediator & Salvator noster *obedientiâ* suâ *passivâ*, sed & *activâ*, non tantum *satisfactione pro peccatis nostris solutâ*, sed etiam *impletione legis pro nobis præstitâ*. Ut ergò *satisfactio* Christi *pro culpâ & pœnâ æternâ*, qvia à Christo *nostri loco* præstita est, nobis communicatur & imputatur in justificationem peccatorum, ut ea propter immunes à peccatis censeamur, fatente *Bell.* ita & *justitia, vel obedientia Christi ac impletio legis nostri loco* ab ipso præstita in justificatione imputatur & communicatur nobis, ac si nos ipsi eam præstitissemus, ad justitiam, vel ut ea propter justi habeamur coram DEO. Non enim minus est tribuendum *obedientiæ Christi activæ*, qvam *passivæ*, nec minùs *illa* pro nobis, hoc est, *nostri loco* præstita est, qvàm *hæc*, teste Scripturâ.

CONTROVERSIA IX.

Utrum sola fide justificetur homo nec ne?

Concil. Trid. Sess. 6. Q. 1. 2. anathema dicit iis, qvi *sola fiducianos justificari* asserunt. Recenset autem C. 6. *septem actus, qvibus impii ad justificationem disponuntur*, vid. *fidei, timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ, propositi suscipiendi Sacramenti, & propositi novæ vitæ, atq; observationis mandatorum DEI.* Idem Can. 8. *initium tantùm, fundamentum, & radicem justificationis* dicit, qvam Synodum *omnes Catholicos, ut Magistram seqvi* asserit *Bellarm.* lib. 1. de Just. c. 11. ideoq; opus non erit, aliorum sententias adducere.

Qvanqvam verò sano sensu dici possit, *ad fidem justificantẽ reqviri timorem, spem, pœnitentiam, propositum novæ vitæ*; non tamen illi actus, vel ad *justificationis efficientiam* qvicqvã faciunt: vel haberi debent, ceu *dispositiones præcedaneæ*, qvibus homo præparetur ad justificationẽ. Nec ullatenus admittendũ,

fidem

fidem tantùm esse initium & radicem justificationis, nec concedendum, *fidem vel dispositivè concurrere ad justificationem, vel etiam meritoriè*. Credimus enim hominem justificari *solâ fide*, qvatenus fides sola est, qvæ apprehendit meritum & justitiam Christi, qvæ justitia sola coram DEO valet, qvaq; nos unicè justificamur. Non ergò fidem *operibus destitui, aut solam esse* docemus, etsi *solùm fide justificari* nos statuamus: qvia nihil dari potest, qvod apprehendat justitiam Christi, præter fidem in Christum. Licet *fides* non sit *absq; contritione*, adeoq; certa ratione supponat *timorẽ ac pœnitentiam*; *nec sine spe* existat, imò nec *sine proposito novæ obedientiæ*, non tamen *contritio, pœnitentia, spes vel propositum novæ obedientiæ*, vel etiam ipse *habitus, vel actus fidei in se* spectatus justificat, sed unicè *fides qvà apprehendit justitiam Christi*, adeoq; *relativè, & ratione objecti* considerata, ut ita unicè & in solidum *justitia Christi* constituamur justi; *fides* solum *ex parte nostrâ sit medium, justitiam in verbo & Sacramentis oblatam apprehendens, nobisqve* applicans.

Argumenta contra Pontificios hæc producimus.

I. Si justificatio non consistit in *justitiæ infusione*, sed justitiæ Christi imputatione, utiq; non opus est præparatoriis dispositionibus ad justificationem. Sed verum prius. E.

II. Scriptura Sacra nusquam docet, *reqviri ad justificationem actus qvosdam præcedaneos*, qvibus homo præparetur, ac disponatur, ut justitiam qvæ coram DEO consistat, conseqvatur. Qvi ergò extrà Scripturam illi admittendi? cum nihil de hoc summo fidei mysterio statuendum sit extra Scripturam.

III. Nusquam in Scriptura docemur, fidem *dispositivè* ad justificationem concurrere; nusquam *meritoriè*.

IV. *Fidem justificantem initium tantùm & radicem justificationis esse*, itidem ἄγραφον est, desideramusq; ejus rei testimonia è Scripturis.

V. Qvid? qvod Scriptura excludat *dispositiones prorsus ejusmodi præparationis per actus fidei, timoris, spei, pœnitentiæ &c.* cùm *hominem impium justificari docet Rom. 4. v. 5. Impius* verò non est, *qvi sese præparavit ac disposuit*; Item cũ negat *hominẽ*

sese præparare ac disp̃oere posse; ut &, cùm *opere qvævis ab actu justificationis removet atq; excludit*; deniq; cùm *meritis humanis* in actu justificationis nullum relinqvit locum, nosqve *sola Dei gratia* justificari docet.

VI. *Fidei*, qvæ justitiam Christi apprehendit, non tantùm *initium justificationis* tribuit, sed *totam justificationem*: Imò *justificatio* cum consistat in *peccatorum remissione*, non potest ita considerari, ut spectetur ejus *initium, medium, finis, sed in indivisibili consistit*: non est *actio Physica*, partibus distinctis constans, *initium & complementum successive admittens ac præparationes* vel *dispositiones* præreqvirens, sed est *actio forensis & judiciaria* in *delictorum condonatione* sita.

VII. Qvi justificantur *gratis & ex gratia*, illi non justificantur per vel *propter opera præcedanea*, *vel dispositiones*, qvibus sese ipsimet præpararint ad *justificationem*, sive *consequendam*, sive *promerendam*. At credentes *gratis* justificantur *Rom. 3. v. 24. Et 4. 4. Eph. 2. v. 8. 9.*

VIII. Si fide justificamur ita, ut opera nullatenus ad justificationem concurrant, utiq; non reqviruntur opera præparatoria, vel actus dispositorii ad justificationem. At verum est prius *Rom. 3. v. 28. Et. 4. 5. Gal. 2. v. 16. Eph. 2. 8. Tit. 3. 5. E.*

IX. Qvi justificantur *fide, & non operibus*, illi *sola fide* rectè justificari dicuntur, qvatenus particula exclusiva opera actusq; nostros excludit. Et qvid aliud est, justificari *sine lege, non ex operibus legis, fidem imputari ad justitiam*, qvam *sola fide* nos justificari?

X. Qvi *non nisi per fidem* justificantur, illi *sola fide* justificantur, cùm hæc sint æqvipollentia, ut è collatione Matt. 19. 9. cum Matt 5. 32. Matt. 13. 32. cùm Matt. 24. 36. constat; & ab exceptivâ negativa rectè concludatur ad exclusivam affirmativam. At homo non justificatur, nisi per fidem Gal. 2. 16. qvod versio *Italica* reddit *per solam fidem*, & *Germanicæ* versiones editæ ante Lutherum pleræq; hîc habent vocem nur durch den Glauben. Sic etiam *Titelmannus* expressit in sua παραφράσει,

tam-

tantùm *per fidem*, probatq; id *Estius in hunc locum*. *Sic & Venetiana quædam Biblia Latina*, ut & *Germanica quædam editio* ante Lutherum *Rom. 3. 28.* exclusivam *Solâ* fide habuit. Vid. *Mentzer.* Exeges. A. Conf. art. 4. *Syra Paraphrasis Rom. 4. 5.* interseruit partic. exclusivam *Tantùm &c.*

XI. Scriptura, ubi de *justificatione agit*, fidem solùm commemorat, nusquam *operum* vel *dispositionum* qvarundam præviarum mentionem facit *Joh. 1. 12. Act. 16. 31. c. 26. 18. Rom. 3. 22. 25. c. 1. Gal. 2. 16. c. 5. 5. &c.*

XII. Omnes, qvi credunt, justificari & salvari dicuntur, & qvidem non alio qvopiam medio ex parte nostri, qvàm per fidem, & qvà credunt *Joh. 3. 16. 36. Act. 10. 43. Et 13. 39. Rom. 1. 16. Et 10. 11. &c.*

XIII. Qvicqvid solùm apprehendit remissionem peccatorum & promissionem Dei gratuitam, eo solo nos etiam consequimur remissionem peccatorũ & gratiam Dei. At sola fides &c. *Joh. 1. 12. Act. 10. 43. Rom. 1. 16. c. 3. 22. Gal. 3. 26. Phil. 3. 9.*

XIV. Latro in cruce non justificatus fuit per præcedaneas dispositiones, nec dantur sanè illæ in infantibus, qvi per Baptismum regenerantur, & justificantur, ut in confesso est. At una eademqve est ut salutis via, ita & justificationis ratio *Act. 4. 12. c. 15. 11. Joh. 14. v. 6.*

XV. Deniqve subjungimus suffragia Adversariorum: *Jacobus Schopperus Presbyter Coloniensis* Con. 1. super Epist. in Fest. And. p. 2. *per fidem*, inqvit, *justificamur & salvamur*; hocautem *non eo pacto intelligi potest, qvasi fides per se tantum possit, sed qvod nulla re alia gratiam ejus possimus accipere, fides in solam DEI misericordiam & gratiam respicit. Qvare qvod fides justificare & salvare dicitur, perinde est ac si dicamus, gratiã & misericordiã Dei nos justificare & salvare; qvod si hoc animadverterent qvidam, non adeò offenderentur, uti nunc videmꝰ. Toletꝰ Cardinalis* in c. 3. ad Rom. *Advertendũ esse*, inqvit, *fidem ex se non habere efficaciã ullam, ut actus qvidam noster est, remittendi & reconciliandi, sed virtutem totam procederę ex objecto ipso, nempe Christo, cujus virtutem & meritum*

meritum disposuit DEUS *per fidem in ipsum applicare peccatori ad justificandum Jacobus Sadoletus Cardinalis* in cap 3. & 4. ad Rom. docet: *sola fide nos posse salvos fieri. Casparus Contarenus Cardin.* in c.4. ad Rom. notat *imputationem justitiæ Scripturam nulli alteri rei tribuere, quàm fidei. Nicolaus Cusanus Cardin.* probat lib. de parc. fidei c.15. *nos sola fidei justificari, non ex merito operum. Erasmus* de ration. Concion. l. 3. *Fides sola justificat. Atq; inquit, hæc est vox tot clamoribus hoc seculo lapidata, quæ in Hilario reverenter auditur. Neminem antèà offensum fuisse particula illa Solâ; B. Patres, & Paulum ipsum soli fidei justificationem attribuisse, ait Joh. Hoffmeist. in Harm. Fabric. p. 46. Hosius Card.* Epist. 17. ad Ruardũ Tapperum docet, *non solùm Augustinum & Ambrosium, sed etiam Bernhardum & alios multos Doctores dixisse, quod sola fides justificet*, id qvod *Jodocus Cocc.* tom. 2. Thesauri Artic. 1. c. 7. probat ex *Origine, Basilio, Photio, Theodoreto, Arnobio. Hilario, Chrysologo, Mario Victore, Primasio, Chrysostomo, Haymone, Bernhardo.* Idem etiam dicunt *Lyran.* in Gal. 3. *Caietan. Giselbertus, Faber. Stapulens.* in Rom. 3. *Cassander consult. art. 4. Joh. Ferus* in Joh. l. 9. & 12. *Solâ sc. fide hominem justificari.* Qvid qvod similia legantur in jure Canonico, c. *Charitas est aqva Dist. 2. de Pœnit. solâ fide* dicuntur *peccata relaxari*; c. *sine pœnit dist. 4. de consecrat: gratia* DEI dicitur *non requirere meritum vel planctum, vel opus aliqvod, sed solùm fidem, & omnia gratis condonare.* Conferantur *hic Wolframi Cent. testim. de solâ fide.* de consensu Patrum videri poterit *Hermann. Hamelmann.* qvi solam fidem justificare è Patribus Græcis & Latinis XL. demonstravit.

CONTROVERSIA X.

Utrum fides solum assensus sit, num verò etiam notitiam inferat?

BEllarm. l. 1. de Just. c. 7. §. 2. probare conatur, *fidem non esse notitiam, sed assensum.* Ideo etiam fidem *implicitam* propugnat

gnant adversarii, qva fideles dicunt *credere, qvod credit Ecclesia. Biel.* 3. sent. dist. 25. qvæst. un.

Qvanqvam verò *fidem* longè à *scientia* è *principiis humanæ rationis exstructa* disrepare fateamur, nō tamen *assensum nudum* esse sine *notitia* speciali eorū, qvæ in Sacris revelata, creditu ad salutē sunt necessaria, sed notitiam inferre docemus.

I. Qvia describitur per *intelligentiam Matt.* 13. v. 19. νόησις *Heb.* 11. 3. γνῶσις *Luc.* 1. 77. *Joh.* 17. 3. 1. Cor. 15. 2. *Pet.* 1. 5. ἐπίγνωσις Colos. 1. 9. Conf. Esa. 53. 11.

II. Qvia fideles dicuntur *cognoscere & intelligere, novisse, sapientes & illuminati esse Joh.* 19. 25. *Jer.* 9. 24. c. 31. 34. *Matth.* 13. 23. *Joh.* 6. 69. *Gal.* 4. 9. *Eph.* 1. 17. Et 5. 8.

III. Qvia jubentur fideles *scrutari Scripturas Joh.* 5. 39. *meditari in lege Domini Ps.* 1. 2. solius Christi *vocem sequi. Joh.* 10. 4. *cavere Pseudoprophetas Matt.* 7. 15. probare spiritū *1. Joh.* 4. 1. omnia probare & qvod bonum est, tenere 1. *Thes.* 5. 21. qvæ nullatenus possunt, nisi notitiâ rerum sacrarum gaudeant:

IV. Qvid? qvod *non possit assensus esse sine notitia?* cum id, cui assensum præbere debeo, semper cognitū esse oporteat; *ubi certa est persvasio, ibi rei, de qva certò persvasissumus, notitia necessario datur.* At fides certa est persvasio *Rom.* 4. 19. 21. *Heb.* 11. 1.

V. Cuicunq; opponitur *ignorantia, insipientia, cœcitas, tenebricositas*, id non consistit in *notitiâ*, eamqve infert. At fidei opponitur *ignrantia Act.* 17. 23. *insipientia Luc.* 24. 35. *Cæcitas Rom.* 11. v. 25. *Eph.* 4. 18. *tenebræ Luc.* 1. 70.

VI. Qvibus adduntur testimonia ὁμοίωμα *Lombardi l.* 3. dist. 24. *Estii in 1. Petri* 2. 9. ubi *fidem dicit esse lumen admirabile eò, qvod sit notitia eorum, qvæ à sensibus nostris remotissima sunt, & qvorum rationes mente assequi non possumus. Coseri* Jesuitæ, qvi in Enchir. c. 4. *fidem speciem qvandam facit cognitionis*, non minùs atqve scientiam & opinionem; idemq; Benedicti Justinianei, qvi Rom. 10. necesse esse scribit ad fidē ut rerū divinarum notiones primum menti objiciantur, & cœlesti ac divino lumine illustrentur.

CONTROVERSIA XI.

An fides justificans sit fiducia divinæ misericordiæ?

Concil. Trid. Sess. 6. can. 12. & cum eo *Bellarm.* l. 1. de Just. c. 4. negat, *fidem per fiduciam definiendam esse:* & c. 5 probare conatur, *fidem non esse misericordiæ fiduciam, sed solum assensum ad ea omnia, quæ DEus credenda proposuit.* Contrarium verò hisce probamus.

I. Quòd fides explicetur per *fiduciam* *Psal. 2. v. ult. Psal. 78. 22. Mich. 7. 5. 1. Joh. 5. 12.*

II. Quod fides *describatur* per ὑπόστασιν *Heb. 11.* 1. quæ *fiduciam immotam in promissionibus DEI acquiescentem, ac quasi subsistentiam* infert. Conf. *Heb. 3. 14. 1. Cor. 9. v.* 11. 16.

III. Quòd *Synonyma* fidei inferant fiduciam, utpotè παῤῥησία *Eph. 3. 12. 1. Joh. 3. 21. Et 4. 14.* πεποίθησις *2. Cor. 3. 4. Eph. 3. 12.* πληροφορία *Rom. 4. 20. Colos. 2. 2. Heb. 10. 22.*

IV. Idem importat *nominis ratio.* Dicitur enim πίστις à πείσαι, perindè ut πεποίθησις à πέποιθα, quod utrumque à πείθω *persuadeo*, adeoque *persuasionem & fiduciam* notat: unde πιστεύειν *confidere* est, & πιστὸς *fidelis Matth. 24. 45. Luc. 16. 11. Joh. 2. 24. Rom. 3. 2.* ut & ὀλιγοπιστία. *Matth. 6. 3.*

V. Opponitur insuper fidei *hæsitatio, diffidentia, dubitatio Rom. 4. 4. 20. Jac. 1. 6. fluctuatio Luc. 12. 28. timor & metus Marc. 5. 36. Luc. 8. 50.*

VI. *Actus* fidei sunt *receptio Christi Joh. 1. 12. inditio Christi Gal. 3. 25.* At Christus non recipitur, nisi fiduciali apprehensione.

VII. Tribuitur fidei *gloriatio Rom. 5. 3. Phil. 3. 3. confidentia Matt. 9. 2.* quæ utique fiduciam omninò inferunt.

VIII. Fidei *effecta, remissio peccatorum, justificatio, filiatio, vita,* & *æterna salus* non conveniunt fidei, quà tantum assensus est, sed quà *fiduciam* importat.

IX. Fides

IX. Fides pro *objecto* habet *gratiam Dei & promissiones gratiæ*. Et hæ non reqvirunt assensum solùm, sed & *applicationem Rom. 4. 16. Gal. 2. 20.* Qvandoqvidem assensus etiam cadat in reprobos & Diabolos.

X. *Conseqvens* fidei est *securitas spiritualis, gloriatio in Domino, & tranqvillitas conscientiæ Rom. 5. 1. c. 10. 11.* Necessum ergò est, ut fides non solum assensu constet, sed & fiduciâ.

XI. Qvod & *exempla* comprobant fideliũ, qvi non solùm assensum habuere, sed & *fiduciam, ut Cananeæ Matt. 15. 28. Hæmorrhoussæ c. 9. 21. Abrahami Rom. 4. 17. Mosis Heb. 11. v. 34. &c.*

XII. Addimus deniqve testimonia *Claudii Guillandi* in c. 6. Johannis; *credere in Christum est certò apud se statuere, per Christum contingere justitiam & vitam æternam, eiq; toto corde, tota anima, totisq; viribus adhærere. Groperi* in Enchiridio. c. 9. *fides certissima qvædam fiducia est, qua totos nos DEO submittimus, totiq; à gratia & misericordia Dei pendemus: Ludovici Granatens.* Dominic. 18. post Pentecost. *rectissimè dici nomen fidei, cum ei tribuitur salus complecti non solùm assensum, sed & fiduciam de omnipotente bonitate Dei conceptam*, qvæ repetit *Cornelius Jansenius* in Harmon. Evang. c. 32. Huc facit, qvod *Bened. Justinianeus* in Comm. ad Rom. 3. 2. *fidem* nuncupat *manum & instrumentum, qvo merita Christi nobis applicantur.* Quî ergò solùm assensus esse potest, sine fiducia?

CONTROVERSIA XII.

An fidei justificantis objectum sit specialis DEI misericordia?

NEgant id Pontificii, & objectum fidei justificantis dicunt *omnia, quæ Deq revelavit*, ut videre est apud *Bellarm.* lib. 1. de just. c. 4. & 8.

Qvanqvam verò fidem ratione *assensq omne & solum verbũ Dei* respicere fateamur, attamen qvà *fiducia* est, respicere eã dicimq specialiter *promissiones gratiæ Dei*, qvà omnes credentes

tes propter Christum se in gratiam recepturum promisit, vel meritum Christi, quâ salutem acquisivit omnibus, quod ita constat;

I. Quia *fides, quâ justificat*, non respicit *legem*, sed *Evangelium*, ad quod pertinent *promissiones gratiæ*. Nam justitia *sine lege* manifesta dicitur *Rom.* 3. 22. ex lege non est justificatio, *v.* 20. *Gal.* 3. 10. Id autem respicit fides, quâ justificat, unde est justificatio. Adde quod *peccata* tantum *arguat lex, & condemnet Rom.* 3. 20. Quicquid autem arguit tantum peccata, & condemnat, id non est objectum proprium fidei justificantis, qvà talis.

II. Docet Scriptura, quod tum fide justificemur, cum credimus *nobis peccata remissum iri* propter Christum, cum *in Christum credimo*, quod expiarit peccata nostra, cum *obedientiam Christi apprehendimus*, ut *eadem justi constituamur Rom.* 3. 24. *Et C.* 24. *Et* 5. 19. *Et* 10. *4. 2. Cor.* 5. 21. Quicquid autem Scriptura in Articulo justificationis constituit proprium justificantis fidei objectum, illud, & non aliud, verè est justificantis fidei objectum; At *misericordiam DEI in Christo, & meritum Christi* constituit Scriptura proprium fidei objectum. Conf. *Joh.* 3. 16. *Gal.* 2. 16. 1. *Cor.* 1. 30. *Esa.* 53. 11. *Act.* 4. 12. *Et* 10. 43.

III. Si Christus pro nobis satisfecit ita, ut propter eam satisfactionem peccata remittatur, utique fides, quæ peccatorum veniam impetrat, satisfactionem illam tanquam *primarium & proprium* suum objectum apprehendet. At verum prius, fatentibus ipsis Pontificiis. E.

IV. Si fides verè est *fiducia*, quâ nos justificat, utique pro objecto habebit non omne Dei Verbum, sed *id*, qvo *nititur fiducia nostra*, in quod unicè recumbit. At verum est prius.

V. Si fidei justificantis ea est natura, ut generalem salutis promissionem non simpliciter tantum apprehendat, sed sub eadem subsumat, eandemque applicet, utiq; verum, propriumq; objectum est fidei *specialis DEI misericordia*. At verum est prius. *Gal.* 1. 3. *Et* 2. 20. *Et*, 3. 13. 2. *Cor.* 5. 21.

VI. Illud est proprium fidei justificantis Objectum, qvo appre-

apprehenso absolvimur à peccatis & justificamur. At id est gratia DEI, vel obedientia & meritum Christi. *Joh. 3. 18. Act. 4. 12. Et 13. 39. 1. Cor. 1. 30.*

VII. Quod objectum fuit *fidei Abrahamiticæ* proprium, id *objectum est fidei justificantis.* At illius objectum propriè erat *meritum Christi.* Conf. Joh. 8. 56. Rom. 3. 23. *cap. 4. v. ult.* Idem etiam concludi potest de objecto fidei *Mosaicæ Heb. 11. v. 34.*

VIII. Adde, quod fides justificans in eo consistere dicatur, quod *intueatur Christum Joh. 3. 15.* quodque *apprehendat Christum Joh. 1. 12.*

IX. Si omne Dei verbum objectum statuendum est fidei, qvà justificat, seqvetur fidem justificare, quatenus fertur in doctrinam de *Diabolis, inferno, peccato originis, maledictione legis &c.* & quidem non magis justificare fidem, *qvatenus in Christum* fertur, quam quatenus illa respicit? si fidei justificantis objectum ex æquo statuantur omnia, quæ DEUS revelavit.

X. Quibus tandem accedunt suffragia *Lomb.* l. 3. sent. dist. 19. *si rectæ fidei intuitu in Christum respicimus, qui pependit in ligno à vinculis Diaboli solvimur. Jacobi Schoperi* Conc. 6. in Epist. festi Andr. *Credentes, Christum pro peccatis nostris mortuum esse & resurrexisse, consequimur per hanc fidem remissionem peccatorum & justificationis donum. Johannis Feri* in c. 1. Rom. *justificans fides est assentiri promissioni Dei, in qva gratis offertur remissio peccatorum & gratia propter Christum.* Confer. & *consultat. Cassandri Art. de justificat.*

CONTROVERSIA XIII.

An fides justificans possit existere separata à charitate?

Bellarm. l. 1. de just. c. 14. *falsum esse* dicit, quod *fides vera non possit à virtutibus cæteris esse disjuncta, & cũ peccatis vitiisq; conjuncta.* Et c. 15. *fidem veram & Christianam, qvæ per modum dispositionis justificat impium, dicit posse à dilectione aliisq; virtu-*

tibus separari. Greg. de Valentia tom. 3. comment. in Thomam dist. 1. q. 4. puncto 4. *Doctrina Orthodoxa est*, inqvit, *veram fidē h. e. Theologicam, qvam Heb. 11. Apostolo definivit, qvæq; unà cum aliis virtutibo in Scripturis reqviritur ad salutem cum charitate & sine charitate posse constare, ac proinde qvod adrē ipsam attinet, optimam esse distinctionem illam Theologorū fidei informis & formatæ. Sic in Concil. Trid. adversō hos hæreticos definitum est Sess. 6. c. 15. & 28.* Ubi Concil. fideles recenset *fornicarios, adulteros, fures, avaros, ebriosos, maledicos, ceteros q; omnes, qvi lethalia admittunt peccata.*

Ubi plures falsæ concurrunt hypotheses. *I. Fidem justificantē nihil aliud esse, qvam assensum. II. Fidem justificare, qvatenō assensō est, dispositivè*, vel etiam *meritoriè. III. Fidem* etiam *formaliter, seu per modum habitus justificare*, ceu causam formalē inchoantem justificationis. *IV. Fidem in se otiosam esse, actuari autem per charitatem. V. Fidem per se ad salutem nihil facere, sed vim justificandi à charitate participare. VI. Fidem separatam esse posse à charitate, aliisq; virtutibus*, quam *informem* quidem dicere solent Pontificii, *veram tamen vereq; justificantem* fidem esse volunt, ac *dispositivè justificare* contendunt. De primâ hypothesi *qvæst. X. & XI.* egimus. Cæteras sequentibus discutiemus controversiis. Jam *sextæ* hypotheseos falsitatem evincemus, adeoq; *veram & justificantem fidem non posse separari à charitate, aut separatam existere* docebimus.

I. Testatur Scriptura, quod *vera fides per charitatem efficax sit, & operosa Gal. 5. 6.* quodq; è contra *fides, si non habeat opera, mortua sit in semetipsa Jac. 2. 17. 25.* Fidem autem mortuam in semetipsâ & verā & justificantē esse fidem, per absurdū est.

II. Scriptura *fidei justificantis consequens necessarium* esse docet *bona opera & charitatem Luc. 7. 47.* omnesque credentes & per fidem *renatos peccatum non facere. 1. Joh. 3. 9. 10. Et 5. 18. Dum q; diligere 1. Joh. 4. 7. 8.*

III. Procedit *à remotione bonorum operum ad remotionem ipsius fidei justificantis 1. Tim. 6. 8. 1. Joh. 2. 3. Et 4. 8.* Si ergò negationem

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0092
Mecklenburg Vorpommern

tionem fidei salvificæ infert, utiqve vera & salvifica fides nunquam est sine bonis operibus.

IV. *Fidei veræ & justificanti* tales tribuit *effectus*, qui non nisi piis & bene operantibus conveniunt, utpote *effusionem Spiritus S. Gal. 3. 2. & 14. Et 4. 6. inhabitationem gratiosam Christi Eph. 3. 17. spiritualem vitam Gal. 2. 20. Col. 2. 12. Satanæ & mundi victoriam Eph. 6. 16. 1. Joh. 5. 4. 5. cœlestem benedictionem Gal. 3. 9. Christianam perseverantiam 2. Cor. 1. ult. Col. 2. 7. 1. Pet. 1. 5. &c.* unde ita concludimus: In quemcunque effunditur Spiritus, in quo habitat Christus, qui vitam vivit spiritualem, qui Sathanam vincit, & mundum, qui repletus est cœlesti benedictione, qui denique adversus tentationes fortiter consistit, & perseverat, in eo peccata mortalia locum non habent, isque charitate, aliisque bonis operibus minimè destitutus est. At de quovis verè credente, fideque justificante prædito, verum est prius. E.

V. Omnes salvandi & hæredes vitæ æternæ peccata vitant mortalia 1. *Cor. 6. 10. Gal. 5. 21.* & charitate præditi sunt. 1. *Joh. 1. 14.* At omnes credentes salvantur, & hæredes sunt vitæ æternæ *Marc. 16. 16. Joh. 3. 36. Eph. 2. 8. 1. Pet. 1. 8.* E.

VI. Qui in tenebris versatur, ille utiq; destituitur fide justificante. Joh. 1. 5. Et 3. 19. Atqui impii, vera charitate non prædi ti, versantur in tenebris 1. *Joh. 2. 9.* E.

VII. Si fides vera & justificans sequestrari potest à charitate, sequeretur in *Epicureos* etiam fidem justificantem cadere posse. Nam & illi habent assensum, quo nec Diaboli ipsi destituti sunt.

VIII. Addimus his testimonia veterũ; *Clementis Alexandrini in Protreptico* πίστις ἐροτοθεῖ, *Cyprian. de simpl. præl. Qvomodo dicit se credere in Christum, qvi non facit, qvod Christus facere præcipit? Chrysost. in 1.* ad Thess. *Fides sine operibo figura solùm est absq; virtute. Hieron.* l. 14. Comm. in Ezech. *qvis potest credere sine operibo?* Aug. l. de fide & B. O. c. *16. Fides sine charitate est fides Dæmonum, non Christianorum,* ut & Tract. 61. in Johan. *qvi*

han. *qui fidem habet sine spe & dilectione, credit esse Christum, non credit in Christum.*

IX. Subjungimus *suffragia Adversariorum.* Jus Canon. c. *Charitas est aqua Dist. 2. de Panitentia. Charitas*, inqvit, *à fide Christianorum sejungi nequit. Scotus in 3. dist. 36.* ut & *Durandus ibidem* docent, *nunqvam fidem infundi divinitùs sine charitate*, qvod & *Lombard.* illic innuit. *Schopperus* in expl. Epistolæ in Andream p. 2. *non est*, inqvit, *otiosa vera fides, sed cognitum Deũ invocat, hunc laudat, huic gratias agit, huic servit, ad hujus placitum totam componit vitam. Joh. Ferus* l. 2. in Matt. *Fidem informem mortuam appellari à Jacobo, forma sua substantiali carere, nec fidẽ, sed opinionem vanam esse, docet. Georg. Cassander in* Consult. Art. 4. monet, *fidem, tametsi sola justificare dicatur, solam tamen esse non posse, sed necessariò pœnitentiam & melioris vitæ propositum adjunctũ habere, ne videl. inanem qvandam & adumbratam fidei imaginẽ pro solida & expressa fide amplectamur. Frider. Nauseæ Vinens. Episcop.* Cent. hom. 66. *Sine fide*, inqvit, *nemo unqvam vitam æternam habebit, vel qvamlibet moraliter bono, nempe qvæ sit illa fides, qvâ, & in qva, ex qvæ, & per qvam solam Deus ipse solus maximus nos justificat, perinde at q. instrumento ad justificationem imprimis necessario, bona opera necessario secum afferente. Georg. Wicelius* in Compend. de semiris antiqv. *approbamus*, inqvit, *hanc orationem libri* [Aug. Conf.] *nempe obedientiam ergà legem Dei necessariam esse in reconciliatis, puta renatis & Evangelio credentibus, & qvod existere fides non possit, aut valeat, nisi in pœnitentibus, cum nos nihil diversum sentiamq; &c. Posthæc pulcrè dicunt,* (in Aug. Conf.) *de hac obedientia etiam docemus, eos qvi admittunt peccata mortalia non esse justos, qvia Deus requirit hanc obedientiam, ut resistamq; vitiosis affectibus &c. Michael Medina* in Apolog. contrà Domin. à Soto propugnat, *rectè & Christianissimè dici peccatores qvoscung. ea parte, qva obstinatus simè peccant, fidẽ Christianam amittere.* Vid. de eo *Sixt. Senens.* Bibl. Sacr. l. 6. annot. 176. Idem etiam docuit qvondam *Gregorius* M. Episcop. Rom. hom. 29. in Evangel, *veram fidem esse, qvæ*

esse, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit: nos ǵ tunc veraciter fideles esse, si quod verbis promittimus, operibus complemus. Sed & *Vega* l. 7. super Sess. 6. Conc. Trident. cap. 38. *probabile esse* negat, *ut Deus præclaro fidei dono afficiat peccatorem charitate destitutum.* Fateturque ipsum Conc. Trident. *fidem esse initium, fundamentum, & radicem omnis justificationis.* Quod autem initium, fundamentum, & radix est omnis justificationis, id non potest cum omni injustitiâ consistere. Quid, quod *Bellarm.* ipse *Gregorii* sententiam probet l. 1. de Just. c. 15. *eos non veraciter credere, & non habere veram fidem, qui non benè operantur.*

CONTROVERSIA XIV.

Utrum fides justificet dispositivè, & num formaliter per modum habitus justificet?

Fides à Pontificiis *bifariam* consideratur, tum *ante justificationem*, atqve ita *dispositivè* justificare creditur, *qvatenus præcedit, & hominem disponit ad habitum justitiæ*, quam nemini, nisi qui assensum Evangelio præbuerit, infundi ajunt: tum *in actu justificationis*, ubi *formaliter* justificare dicitur, quatenus pars aliqua habitus infusi justitiæ vel charitatis statuitur. De *priori ait Becan.* p. 2. Theol. Schol. tr. 4. q. 3. inter *dispositiones primum locum tenet fides, quæ est fundamentum & radix totius salutis & justificationis, ut loqvitur Concil. Trid. Sess. 6. c. 8. Bell. l.* 1. de Justif. c. 17. *contendit, per fidem imputari remissionẽ peccatorum, ac per hoc justificari hominem ex fide, non qvia fides tantùm respiciat promissionem, & illam credendo apprehendat, sed quia remissionẽ impetret, & suo quodam modo etiam mereatur.*

Qvanqvam verò assensus ad justificationem prærequiratur, negamus tamen fidem, qvatenus assensus est solùm, justificare, aut dispositivè præparando ad justificationem, nedum meritoriè ex congruo concurrere.

I. Qvia fides justificans describitur, qvod sit *gratiæ divinæ fidu-*

næ fiduciæ: non autem docetur uspiam justificare, qvatenus solo assensu constat: quo de XI. & XII.

II. Nuspiam innuitur, *fidem justificare dispositivè*, aut *impetrare justificationem per modum dispositionis*, nedum ex *merito de congruo*. *Salvos facere* dicitur *fides Luc. 6. 50.* Sed num ideò *promerendo*, vel *modum dispositionis impetrando?* Quidni *accipiendo?* Annon de apprehensione & applicatione pharmaci dici potest, quod ea sanos faciat? *Placet DEO fides* Ebr. 11. 6. Sed *non ideo meretur justitiam. Imputatur ad justitiam Rom. 4. 20.* non autem *ex merito*, sed *ex gratiâ*. Nec alio sensu mereri dixit *Augustinus*, sic ubi dixit, quàm quod *impetret fides*, quod medium sit, quo interveniente gratis consequimur justificationem & salutem *Rom. 3. 23. Eph. 2. 9.*

III. Justificatio consistit in *remissione peccatorum Psal. 32. 1. Rom. 4. 7.* & justificat *Deus impium Rom. 4. 5.* Qui verò remissione peccatorum opus habet, & impius est, mereri vel impetrare dispositione sua justificationem non potest.

IV. Quocunque gratis & ex gratia justificamur, id non justificat per modum dispositionis meritoriæ. At fide gratis & ex gratia justificamur. E.

V. Quicunque justi unicè constituuntur *obedientiâ Christi*, quibus solùm Christi meritum causa est justificationis, illi non impetrant justificationem ad eandem sese meritoriè disponendo. At qui per fidem justificantur, unicè obedientiâ Christi &c. *Rom. 5. 18. 19. c. 3. 23. 2. Cor. 5. 21.*

VI. Quicquid nostræ justitiæ, dispositioni, qualitati & operibus humanis opponitur in actu justificationis, id non justificat, quatenus est *assensus & opus nostrum, aut dispositio & qualitas quædam in nobis*. At fides opponitur: quia *fide sine operibus justificamur Rom. 3. 28. imputat Deus justitiam sine operibus, Rom. 4. 6. invenimur in Christo non habentes justitiam propriam, quæ ex* lege est, Philip. 3. 9.

VII. Si fides quatenus assensus nudus est, justificaret, utiq; impii

impij hypocritæ, qui assensum præbent Evangelio, imò *Diaboli ipsi* justificarentur Jac. 2. 19.

II. Accedunt deniq; suffragia *Weßeli* Groning l. de incarn. pass. *justificat fides non ex merito credentis, sed proposito, & acceptione Dei, in qvem credit. Toletus in Rom. 3. fidem ex se non habere efficaciam ullam, ait, ut actus qvidam noster est remittendi & reconciliandi, sed virtutē totam procedere ex objecto, nempe Christo, cujus virtutem & meritum Deus per fidem applicat peccatori ad justificandum. Joh. Ferus in c. 1. Joh. Fidei attribuitur justificatio, qvia fides Christum verè recipit. Contaren.* tract. de Justif. *Debetur fidei justificatio, non qvod mereamur justificationem per fidem, & qvia credimus, sed qvia accipimus eam per fidem. Sic enim Apost. ad Galat. Accipientes pollicitationem Spiritus per fidem. Hanc acceptationem ab Apost. dictam* B. *Thom. in 3. part. appellat applicationem: inqviens: Passionem Christi esse vetuti medicinam communem, qvam qvis ǵ. sibi applicat per fidem & Sacramenta fidei. Perer.* disp. 18. in Rom. 3. v. 26. *Paulus cum ait, per fidem justificari hominem, nihil aliud significat, qvam per fidem pervenire ad justitiam, & ipsam apprehendere. Stapleton.* l. 2. de peccat. orig. c. 14. *Meritum congrui jam olim explosum esse dicit è Scholis Theologorum: Gregor. de Valent.* l. de Divin. grat. part. 4. c. 6. improbat eorum sententiam, *qvi dicunt ex congruitate nos gratiam primam promereri per dispositiones.*

De *posteriori* respectu fidei in ipso justificationis actu *Bell.* 1. de just. c. 13. *Fidem esse initium, ait, justitiæ, ac per hoc esse causam formalem justificationis inchoantem.* Quum enim hominem censeant inhærenter justum esse per habitum quendam omnes virtutes includentem, fidem etiam partem istius justitiæ statuunt. Refellimus a. hoc seqq. argumentis.

I. Quicquid ipso actu, & quidem unice justificat, id justificationem non inchoat tantum ex parte. At fides actu ipso justificat, idque unicè *Joh. 3. 16. Rom. 4. 5. Gal 2. 16.*

II Si justificatio infert *absolutionem judicialem, non habitus justitiæ infusionem*, utique fides per modum habitus nec inchoata,

choata, nec perfecta formalis causa justitiæ dici potest. At verum prius. E. & posterius.

III. Qvod peccatorum remissionem non confert, causa formalis justificationis esse non potest: quippe quæ consistit in *remissione peccatorum Rom. 3. 25. c. 4. 7.* At fides prout qualitas, vel habitus est, nõ confert remissionem peccatorũ. E.

IV. Quicquid unicum est *medium* apprehendens gratiam peccata remittentem, id plenè, non inchoativè tantum, justificat. At fides, vel fiducia unicum est medium.

V. Si justificatio fit *imputatione* justitiæ Christi, utiq; fides, qua habitus in nobis hærens est, non justificat. Quia justitia illa aliena est & extrà nos constituta, non hærens in nobis. At prius verum est: *Rom. 5. 18, 19. 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 5. 21.*

VI. Si fides justificat *per modum instrumenti, qvâ instar manus est apprehendentis justitiam Christi*, utique non justificat per modum habitus. At verum est antecedens. *Rom. 3. 25. Gal. 2. 16. c. 3. 31.*

VII. Cum Scriptura S. prorsus excludat *legis opera*, nosque justificari dicat *sine operibus*, utique falsum esse oportet, inchoari tantum justitiam per fidem, consummari opera & charitatem.

IIX. Quicquid formaliter justificat, eò coram Deo consistere potest homo. At nullo habitu, vel qualitate nobis inhærente possumus coram Deo consistere. Quod enim coram Deo valere debet, perfectum & incontaminatum sit, oportet, imò infinitæ virtutis, ut in divino judicio mereatur absolutionem, Deumq; permoveat ad justificationem.

IX. Si fides formaliter justificaret, in quantum habitus est, promissio gratiæ & salutis nobis firma non esset, propter ingentem, & perpetuam fidei in hâc vitâ imperfectionem, adjunctas dubitationes, & contagium peccati. At promissio gratiæ & salutis firma est omnibus fidelibus. *Rom. 4. v. 16.*

X. Accedunt *testimonia Pontificiorum: Ben. Justinian. in Rom. 3. 2. qvod fides sit manus & instrumentũ, qvo primum nobis Christi*

Christi merita applicantur. Joh. Hoffmeister. in art. 4. A. C. scribit, *fidem justificare, quà tanquam instrumento remissio peccatorum accipitur.* Item *Hoffmeister.* ut & *Contarenus, Erasmus,* nec non *Sadoletus,* in Rom. 3. & *Alphons. Virvesius* Philipp. 7. fatentur: *sola fide hominem justificari. Non* ergò fides solum erit initiũ justificationis. Sed nec in eò sibi constant Papistæ: quod *fidem in se virtutem esse negent,* dicantq; *fidem in se esse otiosam & veluti rem mortuam, per charitatem verò actuari.* Quod si fides per se non est virtus, quomodo initium erit summæ illius virtutis justitiæ? Et quî res mortua poterit esse initium & formalis causa vivificantis justitiæ?

CONTROVERSIA XV.

Utrum fides in se otiosa & inefficax sit, omnemque vim justificandi à charitate consequatur?

UT fidem à charitate formatam tueantur Papistæ, contendunt *fidem in se non esse virtutem, sed accessu charitatis demùm fieri. Lombard.* l. 3. sent. dist. 23. lit. 2. *Thomas* 2. secundæ q. 4. art. 5. *fidem in se otiosam & veluti rem mortuam esse, per charitatem verò actuari, & operosam effici. Bell.* l. 2. Justif. c. 4. *fidem per se ad salutem nihil facere, neq; vim justificandi habere, sed hoc omne à charitate communicari. Gregor. de Valent.* tom. 3. disp. 1. q. 4. p. 5. *Censur. Colon.* p. 114.

Quanquam autem fides, quà justificat, virtus non sit, *in se se* tamen extra officium justificandi spectata, verè est virtus, omniumque virtutum mater, non verò demùm per charitatem virtus evadit, nec admittimus dari *fidem informem*, à charitate separatam, *actuari* etiam *fidem per charitatem*, & à *charitate vim justificandi habere*, vel justificare, qua per charitatem formatur, prorsus negamus.

I Si fides, ratione sui esse, virtũ non est, quid tandem erit? Si non est virtũ in sese, quî talis fiet accessu charitatis? quippe quæ non mutat *esse internum fidei*, sed tantũ exteriorẽ addere dici-

re dicitur perfectionem, s. secundum *Durand.* l. 3. Sent. dist. 23. q. 6. Quid quod *Lombard.* l. c. lit. B, ipse dicat, *fidem esse virtutem, quâ creduntur, quæ non videntur.*

II. Si charitas à fide hoc habet, ut Deo placeat, non accipiet id fides à charitate. At verum prius *Ebr. 11. 6. Nulla virtus vera apud DEum sine fide*, ait *August.* l. 19. de civ. Dei c. 25.

III. Quicquid justificat *sine operibus*, illud etiam movetur & agit sine charitate: quandoquidem & charitas opus sit. At fides justificat sine operibus *Rom. 3. 28. c. 4. 5.*

IV. Quod non facit, ut fides Christum apprehendat, id fidem non facit operosam ad justificationem. Quia activitas fidei consistit in apprehensione Christi Joh. 1. 12. *Gal.* 3. 27. *Phil.* 3. 9. At charitas non facit, ut fides Christum apprehendat.

V. Ex quo justi vivunt, illud per se maximè operosũ est. Atqui *ex fide vivunt justi. Hab. 2. 4. Rom.* 1. 17. *Gal.* 3. 11. *Ebr.* 10. 38.

VI Si justificamur *ex fide*, non in opera, sed *in fidem*, utique fides non habet à charitate vel operibus id, ut justificemur. At verum prius *Rom.* 1. 17.

VII. Si *per fidem charitate formatam* justificamur, qui fit, quod nuspiam id Scriptura indigitet, sed simpliciter potius asserat, quod fide sine operibus justificemur?

IIX. Nullum oppositum forma esse potest alterius oppositi, adeoq; nec vim illi communicare formaliter operandi. At fides & charitas in justificatione opponuntur. *Rom.* 3 & 4. *Gal. 2. & 3. capp.* E. charitas nequit esse forma fidei &c.

IX. Per quod vita spiritualis, in verâ justitiâ consistens, nobis confertur, illud vim justificandi per se habet, nec aliunde illam sortitur. At per fidem justificantem &c. *Rom.* 1. 17.

X. Quicquid ex lege est, eo non justificari nos certum est è *Gal.* 3. 10. tantum abest, ut id vim justificandi aliis illa destitutis communicet. At charitas ex lege est *Matt. 22. 40. Rom.* 13 8.

XI. Quicquid fide posteriq; est, ea mq; consequitur, id nõ est fidei formæ, nec ei vim formaliter operandi confert. At

vera

vera charitas fide posterior est, eamq; consequitur *Gal. 5. 6. Rom. 5. 5.*

XII. Si charitas est fidei forma, eique vim justificandi tribuit, utiq; fide præstantior erit charitas, meritum Christi extenuabitur, hominesq; charitate propriâ magis nitentur, qvã fide, justitiâq; Christi. Conferat. *Luther. Tom. 4. Lat. Jen. in Ep. ad. Gal. f. 87.*

XIII. Quid? quod distinctio illa fidei in *informem & formatam*, prout à Papistis explicatur, 1. *rancida* sit, & barbara. 2. *absurda & falsa.* 3. *Informis, & contradictoria. 4. Sathanica, & è diametro Scripturæ S. adversa. 5. hæretica, pestilentissima, ut* fusè ostendimus *disput. XI. in August. Confess. §. 10.*

XIV. Huc faciunt *testimonia*, qvibus fatentur adversarii, *solam fidem justificare.* Si enim *sola fides justificat*, utiq; charitas non justificat, multò minus à charitate fidei communicatur vis justificandi. Si *Scriptura nulli alteri rei tribuit justitiæ imputationem, quam fidei*, quod fatetur *Contar. in Rom.* 4. utiq; charitati vis justificandi minimè adscribenda. Adde quod *Joh. Fischer. Roffens. Episc.* art. 1, contra Luth. oper. col. 318. scribat, *se non inficiari, qvin fides absq; bonorum operum partu, h. e. cum opera nondum peperit, justificet.* Quî ergò fides â charitate vim justificandi consequiretur?

CONTROVERSIA XVI.

An vere fideles possint, debeantque certi esse de remissione peccatorum & gratia Dei?

Conc. Trid. sess. 6. c. 9. negat, *oportere eos, qui verè justificati sunt, absq; ulla omninò dubitatione statuere, se esse justificatos. Bellar.* l. 3. de Just. c. 11. *hanc sententiam communem ferè omnibꝰ Theologis esse* ait, *quod doceant non posse homines in hâc vitâ habere certitudinẽ fidei de sua justitia.* Addit. *Bell. videre hanc esse etiam sententiã Concilii Trid.* certò tamen id asserere nõ audet, quando-

quandoquidem Concil. illud ambiguè loquatur, ita definiens: *Sicut nemo pię de misericordia Dei, de Christi merito, deq; Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum seipsum suamq; propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, ac timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Unde *Amb. Catarinus* contendit, Synodum illam *non definivisse hanc controversiam*, sed ejus definitionem in aliud tempus servâsse. *Mart. Eisengrein* peculiare scriptum opposuit dogmati de incertitudine gratiæ, asseruitqve *Conc. Trid. sententiam non fuisse aliam, quàm quòd Hypocritæ, Epicurei, Hæretici, perseverantes in peccatis certò statuere non debeant, quòd sint in gratiâ Dei.*

Nostra sententia est, *verè fideles & posse & debere certos esse absq; ullo servili timore & formidine contrarii de remissione peccatorum & præsente Dei gratia, adeoq; indubitatò credere sibi ex gratia DEI propter meritum Christi peccata omnia vere remissa esse*, quam confirmant.

I. *Scripturæ testimonia* Rom. 5. 1. *Justificati ex fide pacem habemus ad DEum & accessum in fide in gratiam, in qva stamus & gloriamur.* Qui pacem habent & accessum in gratiam, quique stant in gratia, & gloriantur in spe gloriæ filiorum Dei, illi certi sunt de remissione peccatorum; At justificati ex fide, &c. E. Adde *Eph.* 3. 12. ubi fidelibus tribuit *fiducia accessus in confidentiâ per fidem.* Ubi verò est fiducia & confidentia, ibi locum non habet incertitudo & dubitatio. Item 1. *Joh.* 3. 14. *nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam.* Et 4. v. 13. *in hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, &c.* Quod enim probe quis scit & cognoscit, de eo certus est sine dubitatione. Conf. *Job.* 19. 25. 1. *Joh.* 5. 19. 20. *ut & Jac.* 1. 6. *postulet quis in fide nihil hæsitans. Ubi enim excluditur hæsitatio, ibi ponitur certitudo.*

II. *Fidei natura*; quod sit fiducia certa gratiæ Dei, πληροφορία, πεποίθησις, παῤῥησία, qvæ certe consistere non potest cum dubitatione & hæsitatione, vel fluctuatione. III. *Te-*

III. *Testificatio Spiritus Sancti interna*; Quod enim ipse suo testimonio confirmat, id sine omni dubitatione certum est. At Spiritus Sanctus confirmat & obsignat remissionem peccatorum in cordibus fidelium *Rom. 8. 15. 2. Cor. 1. 31. Eph. 1. 13. Et 4. 30.*

IV. *Promissionum divinarum firmitas indubia.* Omnes enim fideles & pii credere debent promisionibus divinis. At hæ gratiam Dei & remisionem peccatorum nobis exhibent & qvidem non sub conditione obedientiæ, sed solùm *hypothesi fidei*, adeoque nobis sunt firmisimæ *Rom. 4. 16.* Confer. *Jer. 31. 33. Ose 2. 19.*

V. *Juramenti divini certitudo immota.* Quod enim DEus juramento confirmavit, de eo dubitare nefas est. At remissionem peccatorum & gratiam juramento confirmavit *Ezech. 33. 18. Johan. 5. 24.* Conf. *Heb. 6. 16.*

VI. *Precum exauditio certissima.* Qui enim certus est de exauditione, is adeptionem boni, quod expetiit. certò potest & debet credere. Atqui fideles bona spiritualia petentes certi sunt de exauditione. Conf. *Matth. 18. 18, Marc. 11. 24. Joh. 16. 33. Jac. 1. 6.*

VII. *Sacramentorum efficacia divina.* Quod Sacramentis ceu sigillis certus confirmatur & obsignatur, de eo possumus esse quam certissimi. At remisio peccatorum & gratia DEI ita confirmatur Sacramentis; *Rom. 4, 11. 1. Pet. 2. 21.*

VIII. *Applicatio singularis omnibus necessaria.* Si enim omnes credentes sibi applicare debent gratiam DEI & meritũ Christi, ut id exemplo Pauli constat *Gal. 2. 20.* Conf. *c. 1. 3. 13.* utique dubitandum nõ erit iis de remisione peccatorum, cùm illa *dubitatio* cum *applicatione individuali* consistere nequeat.

IX. *Absolutio privata Ecclesiastica.* Qvibus enim per ministrum Christi, loco Dei, peccata ita remittuntur in terris, ut ea remisio rata sit in cœlis, illi de gratiâ Dei certi esse possunt. At credentib9 ita remittuntur peccata in absolutione privata *Matth. 18. 18. Joh. 20. 23.*

X. *Exempla luculenta* eorum, qui certi leguntur fuisse de sua

sua justitia, nobisqve ad imitandum proponuntur; qualia sunt Abrahami Patris credentium *Rom. 4. 12. 16. 18. 19. Jobi. c. 19. 25. Pauli, Rom. 8. 38. 2. Tim. 1. 12.*

XI. *Dubitationis deformitas tetra*; quandoquidem dogma dubitationis inferat perpetuum mentis angorem, tollat naturam fidei, impediat efficacem orationem, enervet Spiritus Sancti testificationem, incertam reddat Sacramentorum efficaciã, deducat deniq; ad desperationem certissimã.

XII. Quibus tandem adjicimus *adversariorum suffragia*. Præter *Ambros. Catarinum* & *Eisengreinium* propugnat certitudinem gratiæ *Enchiridion Colonense* (quo de vid. *Bellarm.* l. 3. de justif. c. 9. §. Altera sententia) & *Georg. Cassander* Art. 4. Consult. ut & *Claudius Guilandus* in c. 6. Johannis; *Andr. Vega & Bened. Pererius* (quos cum *Ruard. Tappero* certitudinem tantam, quæ omnem formidinem oppositi excludat, propugnare docet *Cornel. à Lapid. in Rom. 8. 16.* eam sententiam multis Patrum testimoniis confirmans) *Joh. Ferus* in c. 8. Matth. *Cornel. Mussius Bipontinus Episcop.* in c. 5. Rom. *Petrus de Ribadine ira* in Fonte vitæ & consolationis, nec non *Antonius Marinarius*, qui etiam in *consensu Concil. Trid. habita oratione refutavit dubitationem de gratia.* Quid, quod *Concil. Trid.* fateatur, *neminem pium de DEI misericordia, de Christi merito, deq; Sacramentorum efficacia & virtute dubitare debere.* Et, quî possunt cum dogmate de dubitatione aliæ hypotheses Papisticæ consistere, si *renati perfectè legem implere, si operibus promereri possunt vitam*, si etiam *opera supererogationis facere*, quomodo non poterunt certi esse de salute? Si non solùm Pontifex *indulgentias plenas concedere* potest, sed & *sacerdotes à peccatis absolvunt* ita, ut *absolutio ex opere operato prosit*, quid restat dubitationis de *remissione peccatorum & consequenter de aterna salute*?

CONTROVERSIA XV.

An homo justificatus legem Dei perfectè implere possit?

Concil.

CONcil. *Trid.* anathema dicit Sess. 6. *Can. 18. si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia*; cui decreto opponimus.

I. *Scriptura disertam literam*; *Act. 15. 10. Rom. 8. 3.* quod *lex portari non possit* à quoquam, quodq; *impossibile sit, legem implere, quia per carnem infirmata est.*

II. *Omnium hominum lapsum & culpam*; quod nemo sit, qui præstet & impleat legem ita, ut non peccet & prævaricetur 1. *Reg. 8. 46. Psal. 130. 2. Psal. 143. 2. Prov. 20. 9. Dan. 9. 8. 1. Joh. 1. 8.* quodque *in multis labamur omnes Jac. 3. 2.*

III. *Legis naturam & perfectionem summam*: Quia *lex spiritualis est, nos adhuc carnales Rom. 7. 14.* lex eam postulat perfectionem, *ut ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima & ex omnibus viribus DEUM diligamus, & proximum, sicut nos ipsos Deut. 6. 5. Matt. 22. 37.* idq; ita, ut *omnem* etiam prohibeat *concupiscentiam Rom. 7. 7* quæ perfectio in neminem cadit mortalium, teste *Lombardo, præceptum illud non impleri, in hac mortali vita ex toto, sed tantum ex parte* l. 3. sent. dist. 27. Conf. *Alphonsus à Castro* l. 3. adversus hæres. hæresi 4.

IV. *Sanctorum confessionem ingenuam*; quùm etiam sanctissimi quique agnoscant sese peccatores esse, legemque Dei implere non posse *Job. 9. 2. Psal. 19. 13. Et. 32. 6. Rom 7. 14.*

V. *Salvationem mere gratuitam.* Si enim renati perfectè possent legem implere, utique salutem consequerentur per legis impletionem *Lev. 18. 9.* At non consequuntur eandem per impletionem legis *Gal. 3. 21.* sed gratuita DEI misericordia per fidem *Eph. 2. 8. Tit. 3. 5.*

VI. *Evangelii doctrinam.* Si legem perfectè implere possent sancti, non opus foret Christi merito ad salutem *Gal. 2. 21.* nec ex Evangelio, sed è lege esset salus æterna *Lev. 18. 5.* quod est contra Apost. *Gal. 3. 11. Et 5. 4.*

VII. *Renovationis imperfectionem.* Qui enim *ex parte tantũ renovantur, primitias saltẽ spiritũ accipiunt*, ex parte adhuc *carnales* sunt, *legemq; peccati in membris suis fovent*, in quibus ad-

huc *peccatum hæret & lucta manet carnis & spiritus* perpetua, illi non possunt ex asse, & perfectè legem implere. At de *renatis* verum est prius *Rom. 7. 14. & seq. Et 8. 33. 2. Cor. 4. 16. Gal. 5. 17. Jac. 1. 14. Heb. 12. 1.*

VIII. *Necessitatem absolutionis & remissionis peccatorum. Qui pœnitentia & absolutione indigent*, & quotidie opꝰ habent *expetere remissionem peccatorum*, illi non perfectè implent legem ubi enim peccatum, ibi ἀνομία, adeoq; non *perfecta est impletio legis.* At de renatis verum est prius *Psal. 32. 6. Matt. 6. 12. E.*

IX. *Adjunctam operibꝰ bonis impuritatem. Opera enim renatorum non sunt simpliciter & absolutè justa*, ut quidem Bellar. contendit l. 4. de Just. c. 10. sed *imperfectione laborant*, tùm ob *reliqvias peccati originalis Rom. 7. 31.* tum *ob imperfectionẽ renovationis 1. Cor. 13. 10. Phil. 3. 12.* tùm ob *perpetuam luctam spiritꝰ & carnis Gal. 5. 17. Jac. 1. 14. immunda* insuper sunt, & *veluti pannus menstruatæ Esa. 64. 6.* nec in judicio Dei ullatenus consistere possunt *Exod. 34. 3. Job. 9. 2. & 15. 14. 15. Psal. 130. 2. 1. Cor. 4. 4.*

X. *Adversariorũ confessionem: Legem non posse perfectè à nobis impleri* fatetur Caspar. *Contarenꝰ Card.* de Prædest. operum p. 609. *Clemens Romanus Episc.* l. 2. constit. c. 18. *absq; peccato*, inquit, *nemo est hominum, excepto eo, qvi propter nos factus homo. Greg. Magnus* l. 5. moralium c. 8. *ipsa justitia nostra ad examen divinæ justitiæ deducta, injustitia est, & sordet in districtione judicis, qvod in æstimatione fulget operantis.* Item homil. 22. super Ezech. *Quis in hac vita valeat post fidẽ sine culpa vivere, cum Johannes dicat: Si dixerimus, qvia peccatum non habemus, seducimꝰ nos ipsos. Estius* in Comment. super hæc verba Johannis 1. *Epist. 1. 8.* docet, *neminem in hoc seculo reperiri, qui plane purgatus sit ab omni inordinato & vitioso affectu, hominẽ semper esse in aliquo peccato; nos actum peccati quodammodo continuum habere*, idque *Hieron. Aug. & alios Patres contra Pelagium docuisse*, qui contendit, *hominẽ justum sine peccato vivere posse. Hieron. ab Oleastro* in Es. 64. *fatemur*, inqu it, *omnes nostras justitias mixtas esse multis immũditiis & peccatis.* Conf. *Didacꝰ Stella in 18. Luc. fol. 196.*

Quid

Quid? quod communiter omnes Pontificii doceant, *neminem esse, qui non admittat peccata venialia.* At illa verè *natura suâ peccata sunt*, adeoq; faciunt, *quò minus perfecta sit legis impletio, etsi ex gratia remittantur fidelibus*; non tollunt quidem *justitiam fidei, operum* tamen *nostrorũ justitiam* reddunt *imperfectam.*

CONTROVERSIA XVIII.

An Christus datus sit ut legislator, & num leges qvasdam novas tulerit?

CConcil. Trid. anathema dicit illis, *qui negant, Christum datum ut legislatorem, cui obediendum Sess. 6.* can. 21. Quanquam verò *Christum in executione muneris sui Prophetici legem etiam proposuisse, eandemq; à corruptelis Pharisaicis regurgâsse*, non diffiteamur, Christum tamen *novas leges* in diebus carnis suæ promulgâsse, ac *Legem Mosaicam additamentis suis perfectiorem reddidisse*, negamus.

I. *Ob probationis defectum.* Nullæ enim leges novæ à Christo promulgatæ in medium proferri possunt; de Consiliis, quæ vocant, Evangelicis postmodum.

II. *Ob manifestam Christi & Mosis oppositionem Joh.* 1. 17. Lex *per mosen data est, gratia autem & veritas per Christum facta.* Quod Mosi adscribitur in sensu oppositio respectu Christi, id à Christo tempore N. T. factum esse dici non potest. Et cùm Christo diserte vindicetur *gratia & veritas*, ita ut lex ab eo in diebus carnis suæ promulgata negetur, annon luculenter refragantur Pontificii, qui *Christum non solùm redemtorem, sed & legislatorem fuisse ajunt?*

III. *Ob finem adventus Christi.* Qui enim venit, ut *legem pro nobis impleret*, utq; *nos, qui sub lege eramus, redimeret*, & à *maledictione legis liberaret*, is nõ venit, *ut novas leges promulgaret.* At de Christo verũ est prius. *Matt. 5. 17. Rom. 8. 4. Gal. 5. 13. Et 4. 5. E.*

IV. *Ob legis divinæ perfectionem.* Quicquid *per se est perfectum, & regula quoque obedientiæ perfectæ, cui nihil*

addi vel demi debet, id falso dicitur additamentis novis perfectius redditum. At lex Mosaica per se est perfecta &c. *Psal. 19. 8. Deu. 4. 12. Et 12. 32.*

V. *Ob legislatoris conditionem.* Omnis enim *legislator* requirit *perfectam obedientiam*; eamq; haud præstitâ pœnam comminatur, & annunciat. Christus a. *non venit, ut ejusmodi obedientiam à nobis exigeret*, sed ut eam pro nobis præstaret, non *accusaret & judicaret mundum, sed ut redimeret ac salvaret Joh. 3. 17.* Mosi *accusatorium munus* adscribitur *Joh. 5. 45.* Christo *advocatorium 1. Joh. 2. 2. Lex tantum iram operatur Rom. 4. 20. ministerium mortis est 2. Cor. 3. 7.* At Christi *officium proprium non est ministerium mortis, vel iram operari, sed ab ira & morte nos liberare.* Quibus addimus

VI. *Bellarmini confessionem* l. 1. de Verbo DEI c. 3. ubi ait: *Christum non ideo ad nos veniisse, ut tanquam alter Moses novæ legis pondere nos premeret, sed ut jacentes sub onere legis auxilio gratiæ sublevaret.*

CONTROVERSIA XIX.

An Evangelium proprié acceptum leges contineat?

AFfirmat *Bellarm.* l. 4. de Just. c. 2. *leges propriè dictas, & comminationes Evangelio contineri*; *Censura Iesuitar. Colonienf.* f. 204. *Evangelii*, inquit, *propria doctrina est, si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Utut verò concedamus, Evangelium quandoque γενικῶς accipi, prout & *legis & gratiæ doctrinam* complectitur, *propriè* tamen κυρίως καὶ ἰδικῶς acceptum *doctrina est de gratuitâ remissione peccatorum*, ideoque negamus sensu *proprio* Evangelium *leges continere vel exigere*, & urgemus.

I. *Vocis Etymologiam*, vi cujus *lætum unicum* importat & *gaudium magnum*, interprete Angelo *Luc. 2. 10.* Conf. *Jacob. Fabr. Stapul.* in Præf. Comment. in. 4. Evangel.

II. *Synonymiam*; vocatur enim passim *promissio, sermo gratiæ*,

tiæ, sermo vitæ, verbum fidei, lex libertatis, Evangelium pacis, salutis, gloriæ &c.

III. *Propriam doctrinæ hujus sedem*, utp. *Esa.* 61. 1. *Luc.* 4. 18. ubi ita explicatur Evangelium, ut nullo modo legem sub se complectatur. Conf. *Matt.* 11. 5.

IV. *Disertam Pauli testificationem.* Rom. 10. 5. 6. 9. *Moses describit justitiam, quæ ex lege est: qui fecerit hæc, vivet in eis. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Si confitearis in ore tuo Dn. Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Et Gal.* 3. 11. 12. *Justus ex fide vivet, lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in eis.* Quî ergò audent Jesuitæ contra has manifestissimas sententias contrarium affirmare?

V. *Distinctionem à lege.* Quandoquidẽ *lex & Evangelium sibi opponantur* sensu *proprio & specifico*, non ergò lex sub Evangelio *oppositum sub opposito* comprehendi potest. *Lex* dicitur *doctrina operum, Evangelium verbum fidei & sermo gratiæ Act. 20. 24. Rom.* 10. 8. 1. *Tim.* 4. 6.

VI. *Effectum distinctionem*, quia *lex iram* tantum *operatur Rom.* 10. 8. ideoque distinguitur *ministerium legis* à ministerio *Evangelii*, ut *ministerium mortis & vitæ 2. Cor.* 3. 6.

VII. *Formalem legis rationem.* Lex enim quâ talis imperat *facienda vel omittenda sub comminatione pœnæ*; at *Evangelium*, sensu *proprio*, proponit *credenda*, & exhibet *promissiones gratuitas benedictionis & salutis Gal.* 3. 8. 1. *Joh.* 2. 25.

VIII. *Suffragia. Glossa ordin. Act.* 1. *Evangelium est annunciatio, in qua annunciatur requies post laborem, regnum post servitium, vita post mortem. Vid. & Contz. in proœm. Conc. in 4. Evang. q.* 2. *&c.*

CONTROVERSIA XX.

Utrum Christus & Apostoli consilia quædam perfectionis tradiderint?

Bell. l. de Monachis c. 8. *multa esse*, ait, *consilia Evangelica, sed præcipuè tria; continentiam, Obedientiam, & paupertatem.*

Hinc

Hinc *religionem* comminiscuntur Papistæ, qvæ sit *status hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiæ & obedientiæ vota tendentium*; vid. *Bell.* l. cit. c. 2. Verum enim verò nulla esse ejꝰmodi consilia à Christo vel Apostolis cõmendata, quibus *major obtineatur perfectio, quàm in lege præscribitur*, aut opera supererogationis præstentur, ex hisce, constat:

I. Quia præceptis divinis quicquam addi, Deus prorsus prohibuit *Deut. 4. 2. Et 12. 32.* ideoq; nec addenda illis consilia.

II. Quia *lex divina omnem perfectionem obedientiæ & religionis* complectitur, juxta qvam divinam æmulari debemus sanctitatem *Lev. 11. 44. Et 19. 2. 1. Pet. 1. 16.* quâ utique major perfectio cogitari non potest.

III. Quia obligati sumus ad *summum charitatis gradum*, *Matt. 22. 33. Joh. 13. 34.* Nullus itaque superest locus *operibus supererogationis*.

IV. Quia præcepta nunquam *planè & plenè* adimpleri possunt; multò ergò minꝰ præstari opera supererogationis.

V. Quia *omnis supererogatio Luc. 17. 10.* excluditur. Qui *servi inutiles* sunt, & id tantũ, quod debuere, faciunt etiamsi omnia præstent, illi utiq; non præstant opera supererogationis.

VI. Quia *omnibus* est injunctum, ut ad perfectionem adspirent, non tantum *religionis*, quos vocant Papistæ; nec *liberum* id relictum est, aut *per modum consilii* commendatum, sed potius *demandatum & præceptum omnibus Matt. 5. 47.* quo nomine *Christus* etiam *omnibus in exemplum perfectionis* sistitur. *Matt. 11. 23. 1. Cor. 11. 1. Eph. 5. v. 2.*

VII. Qvia nulla *Perfectiora opera* nominari possunt, quàm quæ *in lege*, regula obedientiæ *perfectissima*, præscripta sunt.

IIX. *Triplex* illud *votorum genus* Papisticum nec *mandatũ* ullũ, nec *consilium*, nec *exemplũ* in S. habet. *Apostoli*, etsi pro ratione *vocationis* bona sua reliquerint, non tamen *dominiũ eorum* prorsus abdicauerunt, *Matt. 6. 10. Et 17. 27. Joh. 19. 27. Et 21. 3.* Paulus se *& abundare & penuriã pati posse* testatur *Phil. 3. 12.* Docu-

12. Docuerunt Apostoli *ea servare, quæ Christus præceperat Matth.28.20.* minimè autem *regulas quasdam hominum*, quales sunt *Francisci, Dominici &c.* quibus *frustra Deus colitur Matth. 15.9. Virginitatem & cœlibatum* commendat quidem Christus *Matth.* 19. 12. ut & Apostolus 1. *Cor.7.35.* non tamen *votum perpetui cœlibatus suadent, nec donum continentiæ omnibus promittunt, nec perfectionem majorem religionis* in voto illo sitam esse, innuunt; imò Paulus vult, ut *propter fornicationem unusquisq; uxorem habeat 1. Cor.7.2. & qui non continent, nubant v.9. & 1. Tim.5.9. Volo*, inqvit, *juniores viduas nubere*; negatq; *quicquam sese suadere, ut laqueum injiciat conscientiæ 1. Cor. 7. 35.*

IX. Quia vota Monastica sunt ἀντίγραφα, cum DEUS *spontaneum cultum requirat Psal. 110.3. 2. Cor.9.7.* nec *libertatem piorum* velit *captivatam*, aut in rebus indifferentibus permittat injici conscientiis laqueum *1. Cor.7.33.35. Gal.* 5.1. Adde, quod vota in Papatu multis modis peccent, tùm quoad *causam efficientem*, cum sæpè fiant ab illis, qui vota præstare sive ob *ætatem*, sive ob *subjectionem sub potestate patria Num.30.15.* sive ob *vinculum conjugale* nequeunt, tum quoad *objectum*, quod de iis sæpè fiant, quæ servari non possunt; tùm quoad *formã*, quod non rarò *coacta* sint, aut etiam *persuasione alicujus perfectionis* extorta; tùm denique quoad *finem*, quod fiant sub *opinione satisfactionis, & meriti.*

X. Ut *continentiæ votum temerarium* est, cum non omnes donum continentiæ habeant, nec *omnes capiant verbum hoc Matth.* 19.11. nec etiam quisquam certus sit, quod, aut quamdiu hoc donum obtenturus sit; ita *votum obedientiæ* verè *stolidum est*, cum obedientia voveatur *præstandi omnia, quæ requiruntur*, quæ ideò cœca dicitur apud *Maphæum in vita Ignatii* l. 3. c. 7. de qua videatur *B. Lutherus tom. 6. Jenensi fol. 28. Votum* verò *paupertatis* verè est *ridiculum*, cum ita pauperes sint in Papatu, ut nullius rei indigi sint, sed omnibus necessariis, imò & abundantibus, sine labore fruantur.

XI. His accedunt testimonia. 1. Quoad *consilia Evangelica Iho-*

ca Thomæ 2. secundæ q. 184. art. 3. qui docet, *perfectionem principaliter & essentialiter consistere in præceptis & in charitate, secundariò autem & dispositivè tantum in consilijs*: Gersonis, qui itidem fatetur, & agnoscit religiones illas Papisticas esse *factitias, impropriè, abusivè & forsan arroganter dictas status perfectionis, Propositione adverſ. conclusion Matt. Grab. Propos. 3 Religionem q. Christianam posse absq. voto obligante consilia perfectè, imò perfectissimè observari, exemplo Christi & Apostolorum* probat. Et l. 1. de imitat. Christi c. 17. *hanc perfectionem & veram Justitiam esse docet, ut nunquam se perfectum quis arbitretur*: Thomæ Cajetani, qui in c. 19. Matthæi, *attende*, inquit, *prudens lector, quod nullum votum à Jesu præscribitur volenti vitæ perfectionem assequi, quia non in vinculis votorum, sed in operibus consistit perfectionis assecutio*: Erasmi in Præf. Enchir. de Milite Christiano, *in affectibus est Christi perfectio, non in vitæ genere, in animis est, non in palliis & cibis*.

II. Quoad *vota Monastica in genere*, de quibus Cassander consult. art. 25. *Monachatus servata sua regula, si sentiat se propterea justitiam coram Deo consequi, errat, juxta illud Matt. 15. 7. frustrà me colunt &c.* Lorichius Instit. Catholic. p. 104. *nostratium* inquit, *tota Simoniaca, sacrilega, superstitiosa, hypocritica, coacta, violenta, non satis matura & deliberata probare qui ausit, cum pietatis Catholicæ hostem & Antichristi præcursorem esse libere profiteor*. Huc faciunt querelæ Pontificiorum de *statu Monastico* multis modis depravato. *Petri de Aliaco, Nicolai Clemangis, Alvarii Pelagii, Johannis Gersonis, Wicelii, Oneris Ecclesiæ, Ludovici Vivis, Erasmi, Claudii Espensei &c.* Qua ergò ratione Monachatus modernus tot modis corruptus pro *statu perfectionis* habendus? Longè certè alia Monachorum veterum erat ratio. *Sanctimoniales ante 40. annum ætatis non velabantur secundum c. Sanctimoniales Causa 20. q. 1. Monachorum Collegia libera* erant, non votis adstricta, *constabant Laicis*, quibus prædicandi munus ex officio non incumbebat, qui laboribus sese sustentabant: quorum *Monasteria*

steria erant *Scholæ pietatis, seminaria Ecclesiæ, officinæ literarum, &c.* At nunc vix *centesimum quodq; Monasterium, cœnobium* literatorum invenies, ut conqueritur *Espenseus in Comm. 1. Timoth. l. 3. c. 12.*

III. In specie *de Voto Continentiæ* fatetur Bell. l. de Monach. c. 34. *donum continentiæ, quo fit, ut reipsa aliquis contineat, non dari, nisi iis, quibus Deus dandum judicavit.* Quomodo ergò se quis obstringere voto continentiæ potest, cùm minimè certus esse queat, an & quam diu hoc donum obtenturus sit divinitùs? *Alph. Virves. Philip. 16. in Harm. Fabric.* suadet, *ut Monachi implendis suis votis impares ea rescindicurent, & saluti suæ per matrimonium prospiciant.*

IV. Quod ad *votum obedientiæ* fatetur *Bened. Justin. Disp. 1. c. 4. de Apostolis fol. 16.* Apostolos *sese non obstrinxisse voto obedientiæ Eras. in Enchir. Milit. Christ.* p. 31. docet, *præstantiorem esse obedientiam auditorum erga Pastores, quàm Monachorum erga Abbates, cùm illa divinitùs, hæc saltem humanitùs instituta sit.*

V. *Voto paupertatis* multos jam olim contradixisse agnoscit *Bell.* eosq; recenset *l. de Monach. c. 45. Thomas 2. secundæ qu. 184. art. 7.* docet, *abrenunciationem propriarum facultatum dupliciter considerari; uno modo, ut est in actu, sic in ea non consistere essentialiter perfectionem, alio modo secundùm præparationem animi, ut nimirum homo paratus sit omnia, si opus fuerit, dimittere vel distribuere, & hoc ad perfectionem pertinere* asserit.

CONTROVERSIA XXI.

Utrum electio ad salutem æternam ex prævisis hominum meritis facta sit, nec ne?

AFfirmant Pontificii nō pauci, ut videre est è *Mart. Becani Theologiâ Scholasticâ p. 1. Tr. 1. c. 14.* ubi contendit *electionem factam esse ex prævisis hominū meritis, sive propter prævisa hominum merita,* eamq; sententiā asserere docet nō tantū *scholasticos,* sed & *Card. Piggium, Osorium, Tapperum, Driedonem, Eccium Turianum, Stapletonū, Molinam, Greg. de Valentia, Lessium &c.*

Franciscus Amicus Cosentinus t. 1. Cursus Theol. disp. 15. Sect. 4. affirmat, *electionẽ ad gloriam decretam esse dependenter ab operibus gratiæ, in genere causæ meritoriæ*, eamq; sententiam tribuit *Alensi, Bonaventuræ, Alberto, Occameo, Rubioni, Catharino*, &c. Quanquã verò alii è Pontificiis negent, prævisa merita causam esse prædestinationis, vel elegisse Deũ ob merita prævisa non possunt tamen ab isto errore sese penitus liberare, quoad usq; adstruere pergunt, justos operibus suis mereri æternam salutem. Immota enim manet illatio *Becani* Disp. de Præstin. Catholic. c. 3. th. 6. *Si omnes ex meritis consequuntur vitam æternam, utiq; omnes ex prævisis meritis ad vitam æternam prædestinati sunt. Quia non aliter Deus salvat actu, quàm salvare decreverat, non aliter ad salutẽ perducit, quàm prout nos elegit ad salutem.* Quod verò bona opera prævisa nequidẽ *causa motiva electionis* fuerint, nedũ *causa meritoria*, hisce probamus documentis.

I. Quia electio facta est ex gratiâ, & ea de causa dicitur *electio gratiæ Rom.* 11. 5. Quicquid autem fit ex gratia, id non fit ob opera, vel operum merita, uti ibidem v. 6. additur; Si *ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia nõ esset gratia.* Electio facta est *è dilectione Dei*, & ex illa gratia, *qua nos gratos habuit in dilecto suo Filio Eph. 1. 6.* At gratia illa est favor Dei gratuitus, quo citra ullum nostrum meritum nos prosequitur.

II. Quia *electio facta est secundum propositum voluntatis Dei Eph. 1. 5.* Si ergò propositum voluntatis Dei causa est nostræ electionis, utique ejusdem causa non est propositum voluntatis nostræ.

III. Cujuscunq; propositi causa est *gratia*, & non *opera nostra*, illud non est factum propter opera, sed ex merâ DEI gratia. At propositi salutis & electionis ad salutem, quæ est *propositum salvandi*, causa est gratia, & non opera, ut disertè docetur *2. Tim. 1, 9. E.*

IV. Quicunq; electi sunt *propter Christi meritum perfectissimum*, illi non sunt electi propter merita propria: qui propter justitiam alienam, illi non propter justitiam propriam electi

lecti sunt. At credentes electi sunt propter Christi meritum *Eph. 1. 4. &c.*

V. Ut in Christo benedicimur *spiritualibus & cœlestibus bonis*; ita etiam in Christo electi sumus *Eph. 1. 3.* At non benedicimur in Christo ob merita nostra, sed *ex mera gratia*, ut concedunt plerique Pontificii.

VI. Ut *Filii* evadimus per Christum, & in gratiam acceptamur, ita etiam *ad hæreditatem cœlestem eligimur in Christo, ut ex Eph. 1. 4. 5.* liquet. At non propter merita nostra, sed unicè *per fidem evadimus Filii Dei, & in gratiam acceptamur per Christum Joh. 1. 12. Rom. 3. 24. Gal. 2. 16. 1. Pet. 3. 15.* Fatentur ipsi Pontificii *nos non evadere Filios DEI propter operum merita*, uti etiam plerique agnoscunt, *non mereri nos gratiam justificationis. E.*

VII. Si *elegit nos Deus, ut sancti essemus*, utique non elegit nos *propter sanctitatem, vel opera nostra.* Quia *finis rei* non est *causa ejusdem efficiens meritoria.* At elegit nos Deus, *ut essemus sancti Eph. 1. 4. E.*

VIII. Quicquid *unicè factum est in laudem gloriosæ gratiæ Dei*, id non factum est *ob merita hominum*, alioquin *homines etiam gloriari possent.* At Electio *unice facta est in laudem gloriosæ gratiæ Dei Eph. 1. 6.*

IX. Si in *tempore justificamur & salvamur ex gratia*, non autem *propter opera, vel operum merita*, utique etiam *ab æterno ad salutem electi sumus ex gratia, non autem propter opera, vel operum merita.* Quia *ut se habet decreti executio, ita & decretum ipsum.* At verum prius. E.

X. Huc facit, quod *Rom. 9. 11.* de *Esavo & Jacobo* dicitur, *antequam quicquam boni & mali fecissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex vocante &c. Typum* enim *electionis* fuisse *Jacobum* admittunt *Pontificii.*

XI. Quibus tandem addimus *suffragia adversariorum, Alphonsi de Castro* l. 9. Verbo *Libertas*, fatetur, *Paulum docere prædestinationē divinam, quâ aliquos ab æterno ad vitam præordinavit æternā, non pendere ex nostris meritis, sed ex sola misericordia*

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0115
Mecklenburg Vorpommern

divina. Contarenus dissentientes *hæresi Pelagianorum affines fieri, ad alterum extremum ex odio erga Lutheranos declinando,* fatetur Tract. de Prædest. *Pererius* in c. 8. Rom. Disp. 33. ait, *contrarium videri Scripturæ, præcipuè autem doctrinæ Pauli, præscientiam bonorum operum esse causam Prædestinationis Bell.* l. 2. de Grat. & L. A. c. 9. *Prædestinationis divinæ*, inquit, *nulla ratio ex parte nostri assignari potest. Dicimus autem nullam rationem assignari posse, ut excludamus non solùm merita propriè dicta, sed etiam bonum usum liberi arbitrii, aut utriusq; simul à Deo prævisum, etiamsi non dicatur esse meritum, nisi de congruo, etiam si non dicatur vera causa, sed tantum conditio sine qua non prædestinatur is, qui prædestinatur.* Eadem est sententia *Tanneri Disp. 2. th. 34. Estii in 1. sent. Dist. 41. fol. 373. Francis. Amicus Consentinus* loco cit. pro hac sententia, quod *non dependeat actio ab operum meritis*, allegat *Scotum, Lychetum, Maironium, Richardum, Ægidium, Capreolum, Bassolum, Cordubensem, Ferrariensem, Arubalem, Consaletz, Suaretzium, Bellarminum.* Excogitat quidem *Bell. c. 14. distinctiunculam: Electionem considerari posse, vel ut est intentio dandi gloriam, vel ut est dispositio executionis, & quasi executio in mente divina. Priori modo* electionem dicit esse *merè gratuitam, & nullam prærequirere operum prævisionem: posteriori* autem modo *exigere prævisionem operum, cùm DEus vitam æternam sub ratione præmii dare non disposuerit, nisi iis, quos bene operaturos prævidit.* At S. S. *nuspiam electionem* accipit pro *nudâ intentione dandi gloriam*, sed distinguit *Voluntatem DEI gratiosam de hominum salute ab ipsa electione Rom. 8. 38. Eph. 1. 5. 9. 10. 1. Tim. 2. 5. 2. Pet. 3. 9. Illa universalis* est, & *voluntas antecedens* dicitur, *hæc particularis* est, & ad *voluntatem consequentem pertinet.* Adhæc docet S. S. *ipsi electioni* inclusam esse πρόγνωσιν, & *juxta eandem factam esse electionem Rom. 8. 38.* Denique *prævisionem non meritorum, sed unicè fidei* adstruit in decreto electionis, tùm *quoad intentionem vitam dandi credentibus*, tùm *quoad executionis dispositionem.*

CONTRO-

CONTROVERSIA XXII.

An opera bona justorum vere ac proprie meritoria sint vitæ æternæ?

Aff. *sententiam* Bell. *omnibus Catholicis communem esse*, ait l. 5. de Justif. c. 1. *Costerus* in Enchir. c. 7. afferit, *non minùs bonis operibus nos promereri æternam felicitatem, quàm malis & flagitiosis promeremur mortem æternam. Concil. Trid.* Sess. 6. c. 16. decernit, *operibus renatorum nihil deesse, quò minus legi divinæ plenè satisfecisse, & vitam æternam verè promeruisse censeantur*: & anathema dicit Can. 32. *illis, qui justificatum bonis operibus non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ consecutionem asserunt.* Probè autem observat *Bell. Confessionem August. & Apologiam non differi* art. 20. *bona justorum meritoria dici posse præmiorum*: negare autem, tum quod *meritoria sint ipsiùs vitæ & salutis æternæ*, tum quod *ex propria dignitate, quasi revera legi Dei satisfaciant, meritoria sint.* Distinguendum itaq; inter *præmia in hâc & futurâ vitâ*, & *præmium ipsius vitæ ac salutis æternæ*, inter *gloriam æternam*, & *augmentum gloriæ*, itemq; inter *meritum generaliter & laxe* nuncupatum, pro *quavis impetratione, compensationem aliquam sive ex condigno, sive ex mera gratia inferente, & meritum propriè ac specialiter ita* dictum, quod *ejusmodi compensationem infert, quâ propriè merces redditur propter meritum, & ob dignitatem ejus propriam, ita ut vera sit æqualitas inter mercedem & meritum.* Quomodo contendit *Bell.* c. 16. 17. & 18. *opera justorum meritoria esse vitæ æternæ ex condigno, non ex pacto solùm divino, sed etiam ratione ipsorum operum propter dignitatem & proportionem eorum, adeò ut teneatur Deus de jure vitam æternam dare operibus.* Cæterùm fatetur Bell. *quosdam è Catholicis* agnoscere, *non esse his vocibus de congruo utendum, sed dicendum,* bona opera esse meritoria *ex gratia Dei, utpote Thomam Waldensem & Paulum Burgensem*: aut *bona opera justorum esse meritoria de condigno, largo modo* (impropriè) ut

Duran-

Durandus & Gregorius statuunt, qui *ejusmodi solùm dignitatem admittunt, quam Deus ex ordinatione requirit in nostris operibo ad hoc, ut vitæ æternæ præminm consequantur:* non autem *strictè* prout *meritum de condigno est actio voluntaria, propter quam alicui debetur merces ex justitia ita, ut si non reddatur, injuste id fiat.* Ita *Scotus*, & qui eum sequuntur, *opera bona meritoria de condigno* dicunt non ratione *operis*, sed tantum *ratione pacti & acceptationis divinæ*, ut *Biel, Marsilius ab Ingven, Vega* & alii: interim *communem Theologorum sententiam admittere simpliciter merita de condigno* asserit Bell. eandemq; *veris simam esse* contendit. *Vasquez in primam secundæ t. 2. Disp.* 214. fatetur *Scotum Gregor. Ariminensem, Gabrielem, Occanum, Alphonsum à Castro, Andream Vegam, Colonienses, Senonenses, & alios negare, quod justorum opera sine pacto & acceptatione Dei digna sint vita æterna:* fatetur *Alphonsum Verve sii, Ruardum Tapperum, Andradii, Horantium, Cajetanum agnoscere, opera justorum maximam dignitatem ex meritis & gratia Christi obtinere:* fatetur *Bonaventuram, Mart. Pistorium, Cardinal. Hosium admittere, quòd ratio meriti in operibus justis nonnisi ex promissione compleatur.* Sed disputat contra illos omnes, & contendit *dignitatem vitæ æternæ operibus justorum absq; ullo pacto & favore adscribendam esse, nullam iis accessionem dignitatis provenire ex meritis Christi, divinam promissionem, aut ullum aliud pactum, aut favorem ad rationem ullam meriti nullo modo pertinere.*

Quod autem opera justorum *nulla ratione* vitam æternam *de condigno* mereantur, & ne quidem *supposito pacto & acceptatione divina*, nedum *citra* ejus *interventum*, ita constat.

I. Quia *meritum ex condigno, sive justitiâ, opponitur gratia*, quod fatetur ipse *Bell. l. 2. de Pœnit. c. 12. si ex merito, non ex gratia, alioquin gratia non esset gratia Rom. 11. 6.* At quid frequentius in S inculcatur, quàm quòd vita æterna ex gratia detur?

II. Quia *ex gratia electi sumo ad vitam æternam, & non ex operibo.* Propter quod *Deus homines ab æterno ad vitam elegit*, propter illud etiam *salvat eos in tẽpore*; quia executio decreti

non

non potest diversa esse ab ipso decreto divino. At non elegit nos Deus propter bona opera, sed ex gratia *Eph.* 1. 4. 5. *Prædestinationis divinæ nulla ratio ex parte nostri assignari potest*, ait Bell. l. 2. de Gratia & Lib. Arb. c. 9. idq; asserit, *ut non solùm merita propriè dicta, sed etiam quodvis meritum de congruo sese excludere fateatur.*

III. Ut homo *non justificatur propter opera bona*, sed ex *gratiâ*, ita nec salvatur homo propter opera bona, sed ex mera gratia divina. Quia *eadem sunt causæ justificationis & salutis*, uti *Rom.* 4. docet Apostolus, non tantum quòd *justificemur gratiâ Dei absq; operibus*, sed quod etiam *beatitudo ipsa, ac salus æterna ejus sit, cui Deus imputat justitiam absq; operibus v.* 6. Atqui fatentur ipsimet Pontificii, *non justificari nos propter bona opera, non mereri bona opera justificationem de condigno.* Agnoscit Bell. *particulam* gratis *opponi merito de condigno* l. 1. de Just. c. 21.

IV. Si ex gratia, & non ex operibus, salus nobis obtingit, utiq; opera non merentur salutem de condigno. At verum prius, idq; testatur luculentissimè Apostolus *Eph.* 2. 5. 8. 9. *ex gratia salvi facti estis per fidem, & non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Tit. 3. 5. *Non propter opera justitiæ, quæ fecimus nos, sed juxta misericordiam suam salvos nos fecit v.* 7. *ut per gratiam ipsius justi essemus, & hæredes vitæ æternæ.* Quapropter & justitia & ipsa vita æterna ex gratia obtingit, & non ex operibus, adeoque dici nequit, *justorum opera mereri vitam de condigno.*

V. Disparitas in eo constituitur inter *mortem & vitam æternam*, quod *illam* quidem mereamur, hanc autem non mereamur, sed ex gratia consequamur *Rom.* 6. 23. *Peccati stipendium mors, donum autem DEI vita æterna*: unde concludimus: Nullum donum gratuitum est *meritum de condigno.* At vita æterna est donum DEI gratuitum. E.

VI. Si vita æterna nobis datur *ut hæreditas*, utiq; non *ex operum merito* eadem obtingit. Hæreditas enim, quà talis, non obtinetur ex merito, filio *hæres* est, non ob servitia vel merita, sed respectu *filiationis ac nativitatis*: ita etiam nos *hæredes vitæ*

æternæ non ex meritis vel operum servitiis sumus, sed per *regenerationem Joh. 1.12.* At datur nobis vita æterna, *ut hæreditas Rom. 8.16. Gal. 3.26. Colos. 3.24. 1. Joh. 3.1.*

VII. Quicquid *perfectissimo merito suo Christus nobis acquisivit* id non acquirimus *nostris meritis.* Quod si enim meritis nostris opus foret, Christi meritum non esset *perfectissimum.* At vitam æternam acquisivit nobis Christus merito suo perfectissimo. E.

VIII. Quibuscunq; operibus non conveniunt *requisita meriti propriè dicti*, illa non sunt propriè meritoria æternæ vitæ. At operibus justorum non conveniunt requisita meriti propriè dicti. Quia ad meritum requiritur, ut 1. *merentis sit proprium 2. indebitum 3. utile sit ei, cui præstatur. 4. proportionatum sit ad mercedem.* Ea opera, quæ *nostra non sunt*, quæ *utilia non sunt ei, cui præstantur, quæ nullam habent proportionem ad mercedē*, ea certè *meritoria propriè loquendo* dici non possunt. At opera bona justorum non sunt eorundē *propria*, sed potius *ipsius Dei*, eadem in ipsis operantis *Joh. 15.5 Phil. 2.13.* non sunt *indebita*, sed potiùs jure *creationis, redemptionis, & sanctificationis* debita *Luc. 17.10. nullam Deo adferunt utilitatem Joh. 22.3. Et 35.7. Psal. 50.12.* nullam deniq; proportionem obtinent in ordine ad vitam æternam, cum *illa finita* sint & *imperfecta, hæc* bonum sit *infinitum & perfectissimum.*

IX. Quicunq; opus habent expetere *remissionem peccatorum gratuitam*, illi non possunt *satisfacere pro peccatis*, nedum *mereri sanctitate sua vitam æternam ex condigno.* At renati opus habent expetere remissionem peccatorum gratuitam. *Psal. 32.6. Matth. 6.12.* imò quotidiè nova debita contrahunt peccando *Jac. 3.2.* Qui ergò sanctitate suâ vitam promerentur æternam?

X. Quæ opera *immunda & imperfecta* sunt, ea non sunt cōdigna vita æterna, nedum *ex condigno meritoria.* At *renatorum opera immunda sunt & imperfecta Prov. 20.9. Esa. 64.6. Rom. 7.31.*

XI. Si *nihil promereri* possumus apud Deum, *posito etiā, quod omnia præstemus, multò* minus renati de condigno promerentur

rentur vitam æternam, quippe qui non præstant omnia, sed *in multis labuntur omnes Jac. 3. 2. Caro concupiscit* in iis *adversus Spiritum Gal. 5. 17.* At verum prius *Luc. 17. 7. Si omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* Unde ita colligimus. I. Quicunq; meretur à Deo operibus suis vitam æternam, is servus est *sibi utilis*. At nemo, etiamsi faceret omnia Dei mandata, est servus sibi utilis. E. II. Quicunq; omnia, quæ faciunt, *tenentur facere jure servitutis*, illi non merentur operibus suis mercedem, sunt enim opposita *debitum & meritum*: unde Christus ipse nititur hoc axiomate: *Nemo sibi utilis est, vel meretur aliquid, qui facit, quod debuit.* III. Cui servo *nulla debetur à Domino gratia*, etiamsi faciat omnia Domini mandata, is omnibus suis actionibus non potest à Domino gratiam mereri. IV. Nemo meretur præmium *iis operibus, quorum ob defectum pœnis plectendus est.* At ob defectum bonorum operum expresciptо legis quivis jure plectitur. *Deut. 27. 26.* V. Deniq; ita colligit ipse *stella* h. l. (Luc. 17.) *Si illi servos inutiles se reputare debent, qui omnia impleverunt, quid nobis incumbet, qui in tam multis offendimus?*

XII. Si *passiones Martyrum* non sunt condignæ gloriæ vitæ æternæ, multò minus opera bona renatorum de condigno merebuntur æternam vitam; quandoquidem *plus sit, pati pro Christi gloria, quàm pietati operari Phil. 1. 19.* At verum prius *Rom. 8. 18.* E.

XIII. Quæ opera non sunt *satisfactoria pro peccatis*, multò minùs *meritoria* sunt *vitæ æternæ*. At renatorum opera bona non sunt satisfactoria pro peccatis; cum *justitiæ divinæ infinitæ creatura finita satisfacere nequeat*, & peccata non per nostras satisfactiones expientur, sed unicè *per satisfactionem Christi perfectissimam.*

XIV. Quibus deniq; accedunt suffragia *Gregorij Magni* in Expl. Ps. 7. Pœnit. *Bernh.* Serm. 1. de annunciat. *Juris Canonici c. Ut evidenter, causa 1. q. 1. Agendarum Moguntinarum* & aliarum, *Johannis Gersonis, Stanislai Hosii, Fabri Stapulensis, Cassandri* ut & *Durandi*, & aliorum supra commemoratorū, qui

opera de condigno meritoria explodunt, aut *merita propriè dicta* iisdem derogant.

SECTIO III.

DE SACRAMENTIS TUM VERIS, TUM Ψευδωνύμως ITA NUNCUPATIS.

CONTROVERSIA I.

An Sacramenta N. T. gratiam conferant ex opere operato?

Concil. Trid. Sess. 7. c. 8. ita definit, *si quis dixerit per ipsa nove legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis sufficere ad consequendam gratiam, anathema sit* l. 2. de Sacram. c. 3. probare conatur, quod *Sacramenta ex opere operato gratiam conferant*, idque discrimen constituit *inter Sacramenta Veteris & Novæ Legis, quod nostra conferant gratiam ex opere operato, illa verò solùm eam significarint.* Quanquam verò fateamur, Sacramenta non esse tantùm *nuda signa gratiæ, sed media & organa* divinitùs instituta, ea tamen non ex *opere operato* prodesse, sed ad salutarem eorum fructum *ex parte nostri* requiri *fidem* asserimus, qva gratiam in Sacramentis oblatam acceptemq, nobisq; applicemq; nec in eo *discrimen Sacramentorum V. & N. T.* agnoscimus, quod *ista* haut fuerint efficacia gratiæ media, uti Sacramenta *N. T.* sunt *media gratiæ.* Quãdoquidẽ Sacramentũ *Circumcisionis sigillum* fuerit *justitiæ fidei*, adeoq; *medium obsignandi gratiã Dei & justitiã fidei Rom.* 4. 11. & annexam habuerit promissionem gratiæ

gratiæ: *Ero DEus tuus & seminis tui post te Gen. 17. 7.* Ceu medium, per quod exhibita, applicata, & obsignata tum fuit gratia Abrahamo & semini ejo. Ut *Circumcisionis contemptores* à consortio Ecclesiæ & spe vitæ æternæ excludebantur *Gen. 17. 14.* ita *vi sensus contrarii*, qui fide suscipiebant Sacramentum Circumcisionis, admittebantur hocce medio *in communionē Ecclesiæ & hæreditatem vitæ æternæ, unde* solebant etiam fideles *efficaces de gratia Dei consolationes è Circumcisione depromere. 1. Sam. 14. 6. Et 17. 36.* Adde quod *Coloss. 2. 11. Baptismus* ipse eatenus dicatur *Circumcisio ἀχειροποίητος*, quatenus *per illum evacuatur corpus peccati.* Necessum ergò est, *vi comparationis istiq;* ut etiam *per Circumcisionem evacuatum fuerit peccati corpus. Agnum* verò *Paschalem* certum est fuisse *figuram* Christi, *veri agni Dei, 1. Cor. 5. 7.* ideoq; *manducatione ejo* confirmata omninò fuit Israëlitarum fides in Messiam; *quatenq; ipsi sibi ejusdem beneficia mediante hoc Sacramento applicabant.* Quod si enim *per Sacrificia* fides eorū confirmata fuit, multò magis credendum est, confirmatam eam fuisse *per Sacramenta*; unde *Hugo de S. victore l. 1. de Sacr. c. 11.* agnoscit, *Sacramenta sub lege eundē sanctificationis effectum habuisse cum Sacramentis N. T.* & fatetur *Suaretz* de Sacr. Disp. 5. art. 3. q. 65. *omnes Scholasticos, sine ulla opinionū diversitate statuere, Circumcisionem institutam fuisse & datam populo Israëlitico in remedium peccati originalis.* Quid, quod hodiè *Franciscani omnes* contendant, etiā *ex opere operato Circumcisioni Justificationē tribuendam fuisse:* videatur *Jos. Angles in Florilegio in 2. Sent. q. 3. de causalitate gratiæ c. 5. Cornelio à Lapide* in c. 17. *Gen. Circumcisio*, inquit, *est signū purgativum peccati originalis, ut docent Patres; quam* sententiam *communem* esse *Theologorum*, ait *Lorinus* in Act. 7. c. 8. Deniq; fatetur *Bell.* l. 2. de Sacr. c. 13. *communem esse Theologorum sententiam, justificasse Sacram. V. T. opere operantis* i. e. *ex fide & devotione suscipientis: eamq; sententiam esse verissimam.* Atqui nulla alia ratione salutaria sunt Sacr. N. T. quam *quatenus fide suscipiuntur.* Nulla ergò supererit in eo differentia *inter Sacram. V. & N. T.*

Quod *ad Sacramenta N. T.* de quibus potissimùm controversia est, videntur quidem nonnulli è Pontificiis *opus operatum* ita explicare, ut sanus sensus subsit, nimirùm, *quod non dependeant Sacramenta ex dignitate ministri*, prout declarat *Andr. Fabricius* in 13. art. A. *Confess.* ut & *Hosius in Confess. c. 89. vel ut non requiratur meritum suscipientis*, prout explicat *Alphonsus Virbesius*, Philippicâ 12. Cæterum plerique Romanenses ita intelligunt opus operatum, ut nec *fidem in suscipiente requiri* adserant.

Nostra ita sententia est; *Sacramenta non prodesse ex opere operato, sed quà fide suscipiuntur*, quæ non quidē facit ad *efficaciam Sacramentis ingenerandam*, facit tamen ad *efficaciam è Sacramentis percipiendam*, adeo ut *actu secundo non sint nobis salutaria, nisi per fidem*, etsi *per se efficacia* sint *ex ordinatione divinæ*, quoad *actum primum*, id quod hisce probamus argumentis.

I. Quia nulla est gratiæ applicatio, nisi *per fidem, sine quâ impossibile est placere Deo, ejusq. gratia frui Hebr. 11. 6.* Sine quo autem nulla prorsus est gratiæ applicatio, id ad fruitionē gratiæ mediantib9 Sacramentis participandę omninò est necessarium. At sine fide nulla prorsus est gratiæ applicatio. E.

II. Quia *fidei* adscribuntur *omnes effectus salutares*, quicunque Sacramentis tribuuntur, *Regeneratio Joh. 1. 12. adoptio Gal. 4. 7. Cordis purificatio Act. 10. 43. justificatio Rom. 3. 24. Gal. 2. 16 salvatio Eph. 2. 8.* Et quidem ita, ut *non nisi per fidem* nos iisdem frui innuamur: non ergò producunt eosdem Sacramenta *ex opere operato sine fide.*

III. Quia Sacramenta sunt *media conferendæ gratiæ* ex parte Dei μεταδοτικὰ *& exhibitiva*, ex parte autem nostri requiritur medium ἀ λητικὸν, seu *apprehensivum & receptivum*, quod nullum aliud datur *præter fidem*. At participationem doni cujusvis requiritur non tantum *is, qui donum offert*, vel etiam *medium, per quod offert*, sed *& is, qui apprehendat & accipiat donum, & medium, quo id apprehendat*, sine quo id accipere nequit, quod hìc aliud non est, quàm *fides Joh. 1. 12.*

IV. Quia *verbum non prodest absq. fide Heb. 4. 2.* proinde

nec

nec Sacramentum, quod est verbum ἐξαρὸν seu *visibile*, & efficaciam habet *propter annexum verbum promissionis*.

V. Quia per *Sacr. Baptismi regeneramur*, & *fiut DEI evadimus non nisi per fidem in Christum Gal.* 3. 26. 27. Unde in *Jure Can.* laudatur sententia *Prosperi c. Verus dist. 4. de consecrat. Verus Baptismus consistat non tam abluitione corporis, quam fide cordis, quemadmodum Apostolica doctrina tradit dicens: Fide mundans corda eorum.*

VI. Quia S. *Eucharistia* non prodest infidelibus, sed cedi iisdem in condemnationem. *Qui sine fide accedunt, indignè manducant & bibunt, reiq; fiunt corporis & sanguinis Christi 1. Cor. 11. 27.* Qui non *per fidem* fruuntur *corpore & sanguine Christi, non habent vitam aternam Joh. 6 53.* Unde fatetur *Bell.* l. 3. de Euch. c. 9. *Corpus Domini sine fide acceptum, nihil prodesse.*

VII. Agnoscit *Thomas* ipse *parte 3. q. 62. art. 5. quod virtus Sacramentorum ordinetur ad tollenda peccata, præcipuè esse ex fide passionis Christi. c. per Esaiam causa 1. q. 1.* docetur: *Omnia Sacramenta obesse indignè tractantibus, prodesse dignè sumentibus. Estius* in 1. Petr. 3. 21. fatetur, *non habere vim suam fidem à Baptismo, sed Baptismum à fide.* Plerique; *Scholastici* docent *Sacramenta non esse causas Physicas gratiæ, sed tantum morales, ut Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Occam, Marsilius*, Gabriel & e recentioribus *Ægidius Coning. Lorinus, Ledesius, Canus, Vasquez, qui hanc sententiam non recentem esse*, ait, neq; *popularem, sed perantiquam & gravissimorum Doctorum*, imò *antiquorum omnium Scholasticorum* in part. 3. Thomæ disp. 132. c. 5. In Concil. etiam Trid. dissentiebant de *opere operato Dominicani à Franciscanis, illis* quidem *propugnantibus, his* verò *negantibus*, utpote *qui etiam simpliciter vim omnem effectivam aut dispositivam Sacramentis denegabant, non aliunde vim & efficaciam eorum petentes, quàm ex promissione divina*, quam sententiam *Dominicani* affirmabant *Lutheranismo esse affinem, Franciscani* verò dictitabant, *Dominicanos impossibilia adstruentes Hæreticis ansam dare calumniandi Ecclesiam*; vid. *Petrus suadus Polanus Hist. Concil. Trid. pag. 271.*

CON-

CONTROVERSIA II.

Utrum Sacramenta veri nominis in N. T. duo tantum sint, Baptismus & S. Eucharistia, an verò Septem?

SEptem N. Legis *Sacramenta* definivit *Eugenius IV.* in *Commonitorio ad Armenios c. 5. Et Concil. Trid. Sess. 5. Can.* 1. quod anathema etiam dixit iis, qui *aliquid horum septem non esse verè & propriè Sacramentum dixerit*, nempe *Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium.* Proinde observandum non quæri, utrum aliqua ex iis, præter *Baptismum & Eucharistiam*, possint aliqvo modo Sacramenta dici, sed utrum ea non minus *verè & propriè Sacramenta* sint *N. T.* quàm *Bapismus & Eucharistia*, quod nos inficiamur.

I. Quia *Baptismo solùm & Eucharistiæ* conveniunt *natura & requisita Sacramenti N. T.* utpotè quod sint *actiones solennes à Christo institutæ & Ecclesiæ N. T. commendatæ, externo visibili elemento, à Christo definito, constantes & cum eodem dispensantes rem cœlestem verbo institutionis determinatam, ad conferendam & obsignandam gratiam verbo promissionis comprehensam.* Hæc enim requisita, uti è naturâ Sacramentorum propriè dictorum genericâ eruuntur, vel quatenus eadem conveniunt, utpote è *natura Baptismi, & Cœnæ Dominicæ*, ita *putativa* Pontificiorum Sacramenta vel *omnibus* iisdem, vel *nonnullis* saltem destituuntur, adeoqve verè proprieque dicta Sacramenta haberi non possunt.

II. Quia *primitiva Apostolica Ecclesia* duo tantum habuit Sacramenta, ut ex loco 1. *Cor.* 12. 13. liquidò videre est. *Omnes per unum Spiritum ad unum corpus baptisati sumus & omnes ad unum Spiritum potati sumus.* *Prius* factum in *Baptismo*, *posterius* in *Eucharistia*.

III. Quia extra verbum Dei nullum aliud medium, uti *testificationis & obsignationis*; ita & *collationis gratiæ in terris* superest, præter *Baptismũ & Eucharistiã* 1. *Joh.* 5, 6. Tres *sunt, qui testi-*

testificantur in terris, Spiritus Verbum, qvod est Spiritus & vita Joh. 6. 63.) aqva (Baptismatos) & sangvis (in S. Eucharistia.) & hi tres in unum sunt.

IV. Illa tantum sunt Sacramenta propriè dicta N.T. qvorum materia è latere Christi in cruce pendentis fluxit. At Baptismi solũ & Eucharistiæ materia fluxit è latere Christi, aqva scil. & sangvis Joh. 19. 35. E. Consequentia è collatione loci 1. Joh. 5. 5. 6. confirmatur & à Pontificiis ipsis admittitur, à Leone Magno in Epist. qvæ in Concil. Chalcedonensi Columna fidei appellata fuit, à Rabano Mauro l. 2. de S. Euch. c. 9. à Thoma part. 3. q. 64. art. 2. A Toleto Cardinali & Johanne Fero in Johann 19. 15. Glossa ordinaria in c. 5. ad Rom. ex Augustino hanc adducit sententiam: Sicut dormienti Adæ fit Eva de latere; sic mortuo Christo, lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta, qvibus formetur Ecclesia.

V. Ut in V. T. duo tantùm propriè dicta erant Sacramenta Circumcisio & Agnus Paschalis, ita & in N. T. duo tantùm sunt, Baptismus & Eucharistia, quandoquidẽ hæc illis respondeant, & in illorum locum successerint, Circumcisio in locum Baptismi Coloss. 2. 11. Eucharistia in locum Agni Paschalis, quæ ideò post hujus celebrationem instituta fuit Matth. 26. 18.

VI. Accedit, quod duos tantum typos præfigurantes Baptismum & Eucharistiam Apostolus è V. T. adducat, idque eò loco, ubi confert gratiam & media gratiæ V. & Novi Testamenti, adversus prophanationem Eucharistiæ ex professo agit 1. Cor. 10. 1. nimirum Baptismum sub nube per manum Mosis & manducationem cibi & bibitionem potus spiritualis.

VII. Si duo ista Sacramenta sufficiunt ad salutem, quid opus fuit plura adjicere? At sufficiunt illa, quia ut Sacramento Baptismi regeneramur ad vitam spiritualem; ita S. Eucharistia nutrimur in eadem; ut per Baptismũ in fœdus gratiæ recipimur, ita per Eucharistiam conservamur in fœdere gratiæ. Quo pertinet, qvod Lomb. l. 4. Sent. dist. 4. ait. Per Baptismum mundamur, per Eucharistiam in bono consummamur: Baptismus æstus vitiorum extinguit: Eucharistia spiritualiter reficit. Quid verò requiritur

præter *regenerationem & nutritionem ad vitam æternam?* Qvid præter *receptionem in fœdus, & conservationem in eodem*, ad fruitionem beneficiorum fœderis, adeoqve salutis æternæ?

VIII. *Septem* illa Sacramenta nullatenus probari possunt è Scripturis, idq; agnoscit *Greg. de Valentia* tom. 4. Disp. 3. q. 6. At extra S. nullum dogma admittimus, ceu fidei articulum. Ineptis & admodum frivolis ratiunculis septenarius ille Sacramentorum numerus probari solet; ut videre est apud *Durandum* l. 4. sent. Dist. 2. utpote, qvod *septem sint Virtutes, septē stellæ, septem candelabra Apoc. 1. Septem oculi super lapidem Zach. 3. Septem panes Matt. 15.* In Concil. Trid. adducebantur qvoq; *septem Planetæ* pro ratione *septem res naturales &c.* vid. *Petrus Suavis l. 2. Histor. Concil. Trid. p. 268.*

IX. Fatetur *Rupertus Tuciensis*, ut & *Bell.* l. 2. de Sacramentis c. 27. *duo tantum esse principialia & præcipua Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam*: alii recensent qvidem etiã *Chrisma*, sed id referunt ad *Baptismum, ut Greg. Magnus, Paschasius, Rabbanus Maurus*, ut & *Jus Canonicum c. Multi secularium causa 1. q. 1.* Agnoscunt insuper nonnulli *duo tantum esse Sacramenta propriè dicta*, ut *Algerus* l. 1. de Euch. c. 19. *Bessarion Cardin.* l. de S. Euch. *Beatus Renanus* ad Tertuliani l. 4. adver. Marcion. c. 57. p. 313. annotat, *Baptismus & Eucharistia duo sunt Sacramenta primitivæ Ecclesiæ*, *Alexander Alensis* concedit part. 4. q. 8. art. 2. *duo sola instituta esse à Christo secundum suam formam, Baptismum sc. & Eucharistiam*, Digna sunt observatu, qvæ *Georg. Cassander* in Consult. art. 13. p. 951. animadvertit. *In hoc certè*, inqvit, *nulla est controversia, duo esse præcipua salutis nostræ Sacramenta, qvomodo loqvuntur Robertus Tuciensis & Hugo de S. Victore; Baptismati tamen ab Isidoro, & eum seqvuto Rabbano & Hugone de S. Victore, Sacramentum impositionis manuum seu Chrismatis & Confirmationis adjungitur, qvo fit, ut apud paulo vetustiores Sacramenta propriè dicta nunc duo ponantur, ut Baptismus & Eucharistia, nunc tria cùm Baptismati Chrismatis Confirmatio adjungitur, nunc verò qvatuor, cùm Corpus & sanguis Domini in duo Sacra-*

menta

reliqua verò Sacramenta nullo certo numero ab illis antiquioribus Scriptoribus comprehensa legimus, nec temerè quendam reperias ante Petrum Lombardum, qui certum aliquem & definitum Sacramentorum numerum statuerit. Quid, quod etiam in Concil. Trid. judicarint nonnulli teste Petro Svavil. 2. p. 168. *definiendum non esse Sacramenta vera ac propria, neque plura, neque pauciora esse, quàm septem; cum enim Concil. Florentinum ultra non perrexerit, quàm septem esse Ecclesiæ Sacramenta, ejus exemplum esse sequendum?*

CONTROVERSIA III.

Utrum Baptismus omnibus omnino ad salutem simpliciter necessarius sit, nec ne?

Affirmant id Pontificii, & quidem ita ut credant *etiam parvulos sine Baptismo decedentes mortis æternæ pœna damnandos esse, utut puniendi non sunt pœna sensus, sive ignis sensibilis Bell.* l. 6. de Amiss. grat. & stat. peccat. c. 2. & 4. *Concil. Trid.* Sess. 6. can. 4. definit: *Baptismum necessarium esse omnibus vel in re, vel in voto*, quod ita explicat Bell. quod *Baptismi fluminis in casu necessitatis vices suppleat Baptismus flaminis, quatenus votum Baptismi aquæ includit. Vega* assessor Concilii l. 5. de Just. c. 14. *virtuale etiam votum admittit, idq; ait esse vel mortem pro Christo, vel propositum servandi omnia mandata divina;* Atque ita pleriqve tum *Scholastici*, tum *Jesuita* contendunt, *Baptismum aquæ suppleri posse partim per Baptismum flaminis seu conversionis, partim per Baptismum sanguinis seu martyrium in casu necessitatis.*

Nos distinguimus objecta Baptismi, *infantes & adultos, hi* ex auditu verbi fidem concipere possunt *Rom. 10. 17.* secus atq; *infantes*, quibus fatemur præter Baptismũ non superesse aliud *medium* generandæ fidei *ordinarium.* Non ergò eadem est lex necessitatis Baptismi horũ & illorum ratione, etiam *ex hypothesi ordinis divini.* Cæterum quemadmodũ Deus *in adultis* fidem excitat nonnunqvã *absq; Sacramento, externâ verbi* prædicatione; sic *potest* omninò in infantibus etiam *sine Baptismate*

matis usu, solâ internâ verbi revelatione fidem exitarce. Quis enim negaret Deo facile esse mentib9 tenellis infantum mysticos concept9 objicere, & repræsentare de Christo Redemptore, iisq; fidem infundere, quâ Christum Redemptorem apprehendant? Ne verò de *voluntate* ejus dubitemus, facit.

I. *Ipsius Christi effatum*; quod *non sit voluntas Patris Cœlestis, ut unus ex parvulis istis pereat Matthæi 18.14.* itemque quod *talium sit regnum cœlorum Matt. 19.14.*

II. *Universale Christi meritum*; quod sanè non fructraneum erit in infantibus omnibus, quos Deus Baptismo præripit; præsertim quorum salutem Ecclesiæ piis precibus DEO commendavit *Joh. 16.13.*

III. *Promissionis divinæ placitum*, quo spondet Deus se *futurum Deum seminis fidelium Gen. 17.7. Act. 2.39.* Unde etiam liberi fidelium dicuntur *filii regni Matth. 8.12. & filii* διαθήκης *Act. 3.35.*

IV. *Circumcisionis exemplum.* Absit enim, ut dicamus omnes Hebræorum filios damnatos, qui ante octavum diem sine circumcisione diem obierunt suum. Absit ut infantes illos, qui in lucem vix editi jussu Pharaonis in profluentem abjecti perierunt *Exod. 1.32.* absque misericordia condemnemus? Num omnes infantes *tempore commorationis in deserto, totis istis 40. annis & natos & denatos absq; susceptο Sacramento Circumcisionis* salute æternâ excludemus? ut & *filium Davidis ex Bathsheba natum* ante 8. diem fato functum, ad quem tamen *se venturum sperabat David 2. Sam. 12.23.* itemq; *Parvulos à Tyranno Antiocho* ante susceptam circumcisionem *occisos 1. Mach. 1.51. 64.* vel num *gratia N.T.* restrictior erit *gratiâ* V.T. & magis alligata Sacramentis?

V. *Axioma Theologicum. Non privatio Sacramenti, sed contemptus damnat: August.* l. 4. contra Donat. c. 32. *& Bernhard.* Epist. 77. *Christus Baptizat eum, cui humana desunt officia*; dicebat *Ambrosius ad Imper. Valentinianum.*

VI. *Gratiæ extraordinariæ privilegium. Non enim alligasse*

Deum

Deum praciſe gratiam ſuam Sacramentis, ut extra eadem non poſſit, aut ſimpliciter etiam nolit illam diſpenſare, fatetur *Thomas* part. 3. q. 64. Et *Bellar.* l. 4. de Chriſto c. ult.

VII. Addimus his hypotheſin & *effatum Pontificiorum de Baptiſmo ſangvinis & flaminis*, quem volunt *in caſu neceſſitatis* vicem medii ordinarii *Baptiſmi fluminis* ſupplere. Quid quod nec ipſi quidem *adverſarii* infantes *abſq; Baptiſmo aquæ decedentes* ſimpliciter *æterna ſalute* excludere auſint. Ita conſtat, quod *Eccleſia Romana infantes Bethlehemiticos ob martyrium non modò in Cœlis locet, ſed inter Divos quoq; veneretur.* Similiter haut inviti agnoſcunt Pontificii, *infantes alios Martyres Baptiſmo aquæ prereptos æternæ ſalutis participes fore.*

VIII. *Judicium nimis rigidum* videtur Pontificiorum, quoad infantes ſine culpa ſua Baptiſmo privatos. Notum eſt in *Theſſaliâ* Baptiſmum ad *feſtum Paſchatos* fuiſſe quaſi alligatum, ut alio anni tempore nemo baptiſaretur, teſte *Socrate l. 9. Hiſt. Eccleſ. c. 18.* & apud Pontificios ſolenniter ſacrum fuit Baptiſmo *feſtum Pentecoſtes*, propter *rationes minùs rationabiles*, quas in *Rationali* ſuo conſarcinavit *Durandus*. Quis hic tam rigidus erit, ut affirmet infantulos propter traditionem humanam pœnas luiſſe, imò æterni exitii reos factos? *V. Luther. tom. 2. Jenenſi Lat. p. 133. tom. 8. Jen. Germ. p. 5. tom. 12. Witteb. p. 184.* & *in c. 17. Gen. p. 81.*

IX. Deniq; accedunt his *ſuffragia Pontificiorum*, de quibus *Bell. l. 1. de Sacram. Baptiſmi c. 6. quosdam Catholicos ſenſiſſe alienum videri à Dei miſericordiâ, ut infiniti fidelium infantes, quos Deo ipſe Baptiſmo præripit, pereant*; citantq; *Cardinalem Cajetanum, Gabrielem*; addimq; nos *& Gerſonem & Altiſiodorenſem, & Alenſem, & Sylveſtrum, & Bonaventuram, & Tilemannum Sigebergenſem, & Thomam Elyſium*, ut & *Georg. Caſſandrum*, qui peculiarem ſcripſit tractatum *de ſtatu infantum, qui in Eccleſia extra Baptiſmum moriuntur* oper. ſuor. p. 760. in quo antea dictorum teſtimonia, ut & ipſi *Lombardi ac Thomæ* ſuffragia allegantur. Quid quod contrarium ſtatuentibus nondum conſtet, *in quonam illi infantes ſtatu ſint poſſint vitæ aliis naturalem quam-*

dam beatitudinem ipsis adscribentibus, utpote *Amb. Catharino, & Albert. Piggio:* aliis *pœnam damni*, seu *carentiæ visionis Dei absq; dolore, qvæ sententia Thomæ est & communis in schola*, notante *Vasqvetzio*: aliis *internum* etiam *qvendam dolorem* ipsis tribuentibus cum *Dominico à Soto*, aliis & *damni & sensus pœnam* iisdem infligentibus cum *Ariminensi & Driedone*. Vid. *Bellar.* l. 6. de Amiss. Grat. c. 1. Notavit etiam dissensum inter *Dominicanos & Franciscanos* in ipso Concil. Trid. *Petrus Suavis* l. 2. Hist. p. 201. Deniq; cum nullum alium statum agnoscat Scriptura post hanc vitam, qvam *infernalem & Cœlestem*, nec infantes illi detrudendi sint *in infernum*, qvippe qvi & *pœnam damni & sensus* juxta Scripturam infert, utiq; excludi non possunt iidem *à regno cœlorum*, qvò etiam facit, qvod *Bell.* ipse statuat l. 1. de Purg. c. 12. responsione ad 5. Objection. *In extremo judicio duo tantum loca remansura, Paradisum & Gehennam.*

CONTROVERSIA IV.

An Infantes Baptizati fidem propriam actualem habeant?

Bell. l. 1. de Bapt. c. 10. statuit *infantes non habere fidem actualem, credere autem fide aliena & ipsa susceptione baptismi. Catechismus Romanus* p. 283. asserit, *infantes fidei Sacramenta accipere cum abluuntur, non qvia mentis suæ assensione credant, sed qvia Parentum fide universæ societati sanctorum uniuntur.* Qvanqvam verò *infantum* baptizatorum *fidem accident aliter* à fide *ablutorum* differre non negemus, nec qvomodo credant satis explicare possimus, nulli tamen dubitamus, qvod *vere credant*, qvodqve ea, qvæ fidem *essentialiter* constituunt, omninò ipsis conveniant.

I. Qvia disertè testatur Christus de infantibus, qvod *credant Matth. 18. 6. Marc. 9. 4. Qvi scandalizaverit unum de pusillis istis, qvi in me credunt* &c. Qvæ verba fidem *actualem & propriam* inferunt, non tantum *potentionalem, vel alienam.*

II. qvia

II. Qvia tribuuntur infantibus *fidei conseqventia*, qvæ sine fide esse neqveunt, utpote, qvod *timeant nomen Domini Psal. 115. 13. Apoc. 11. 8.* qvod *sperent in Dominum Ps. 71. 5.* qvod *laudent Deum Ps. 83. Matt. 21. 16. Apoc. 19. 5.* qvò pertinent *gaudium & saltus Johannis* in utero materno *Luc. 1. 44.*

III. Qvia competunt infantibus *effecta fidei*, qvæ necessario fidem præsupponunt, nec absq; fide ulli conveniunt. Infantes enim *salvantur*; cùm *ipsorum sit regnum cœlorum Matth. 19. 14. Marc. 10. 14. Luc. 18. 16.* τὰ βρέφη sunt *infantes ad huc lactantes usu rationis destituti, qvi nondum incedere, nec loqvi possunt*, ut fatetur *Jansenius* in Concordia Evang. c. 110. At sine fide nemo salvatur *Joh. 3. Marc. 16. &c.* Infantes *fœderis gratiæ participes redduntur & benedictionis divinæ* in Christo *Gen. 17. 7. Et. 12. 3. Actor 3. 25.* At, qvi fide destituuntur, nec in fœdere gratiæ sunt, nec benedictionis divinæ participes fiunt. *Heb. 11. 6.*

IV. Qvia Pædobaptismus non destituitur *fructu suo salutari*, adeoqve *regenerantur & remissionem peccatorum* conseqvuntur infantes per baptismum, cùm baptismus sit *medium regenerationis & remissionis peccatorum Tit. 3. 6. Joh. 3. 5. Act. 2. 38. Et 22. 18. Eph. 5. 26.* At, ubi fides non est, ibi nec *regeneratio*, nec *remissio peccatorum* locum habet *Joh. 1. 12. Act. 10. 43.* Qvod si ergò fide destituuntur infantes, qvomodo salutaris ipsis erit Baptismus?

V. Qvia infantes *circumcisi* non destituti fuere fide, cum circumcisio ipsis fuerit *medium salutare Gen. 17. 18. Rom. 4. 11.* de qvo *qvæstione 1.*

VI. Qvia fatentur Pontificii, *infantes non justificari sine ulla fide*; cùm *fides medium sit ad salutem necessarium, ut è Joh. 3. Heb. 11. Rom. 3. Bell.* docet l. 1. de Just. c. 11. Fides autem, qvæ *ad salutem necessaria* est, debet esse *fides propria*, non *aliena*; qvia *justus sua fide vivet Hab. 2. 4. Rom. 1. 17.* Fides, qvæ justificat, non est fides *potentialis*, sed *actualis*.

VII. Qvia agnoscunt Pontificii, *infantes per fidem manducare carnem Christi spiritualiter*. *Maldonatus* in c. 6. Johannis v.

nis v. 53. *Vasquez* in partem 3. Thomæ Disp. 73. de Euch. c. 4. Et in *Jure Canonico* allegatur locus ex *Augustino c. quia passus Dist. 2. de Consecrat: Unumquemq; fidelium corporis & sanguinis Domini tunc fieri participem, quando in Baptismate membrum efficitur Christi.*

CONTROVERSIA V.

Utrum in Sacra Eucharistia transsubstantiatio fiat panis & vini in corpus & sanguinem Christi?

ITa definitum fuit in *concil. Trid.* Sess. 13. c. 4. de Transsubnimirum *per consecrationem panis & vini in sacra cœna conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis christi, quæ conversio convenienter & propriè dicatur Transsubstantiatio, anathema* insuper vibratum *can. 2. in omnes, qui idipsum negant. Bell.* l. 3. de Euch. c. 1. *Catholica Ecclesia*, ait, *semper docuit conversionem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Domini, quæ conversio postmodum Transsubstantiatio est appellata, fieri, ut corpus & sanguis Domini verè & realiter in sacra Eucharistia præsentia sint.* Romano Catholici in nupero Colloquio Thorunensi *rationem existendi, qua Christus est in S. Eucharistia adæquatam & ultimam dicebant esse transsubstantiationem.* Nos commento isti *Lombardico* hæc opponimus.

I. Omne fidei dogma *in Scripturis* traditum sit, oportet. *Transsubstantiatio* non est in S. tradita, cum neque ῥητῶς in S. literis habeatur, neque διανοητικῶς inde concludi possit, quod fatentur ipsimet Pontificii, *Scotus* nempe, *Durandus*, *Gabriel Biel Petrus de Aliaco, Cajetanus, Tapperus, Roffensis, Canus, Tannerus &c.*

II. Nihil in Sacramentis est asserendũ, quod ex institutione Sacramenti demonstrari non possit, quod colligimꝰ è *l. 3. de Sacrament. in genere c. 21. Bell.* ubi hunc Canonem proponit. *Res & verba Sacramentorũ ita determinata esse, ut nihil addere, minuere,*

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0134
Mecklenburg Vorpommern

minuere, aut mutare liceat. Atqui Transsubstantiatio demonstrare non potest ex institutione. Nam quomodo è propositione Christi, *Hoc est corpus meum*, elicietur transsubstantiatio? In varias sese vertunt formas Papistæ, sed conversionem nusquam reperiunt panis in corpus Christi. *Francisc. Suaretz* in Thomam tom. 3. q. 78. art. 1. disp. 58. Sect. 7. *Octo recenset opiniones de solo pronomine HOC*, plures enumerat *Chamier in Panstratiâ tom. 4. l. 10. c. 2. Bellar.* sibi ipsi adversus modò *solum panem intelligit*, quod *Gridmundus* l. 2. contr. Berengar. *blasphemum* esse dicit; modò *solum panem* intelligi debere adversus Calvinianos negat, & significari vult *rem contentam sub speciebus panis*: l. 1. c. 10. Quæ *sententia communior* est, & *Thomæ opinioni* accedit, quod τόδε significet *substantiam in communi, sine qualitate*, id est, formam denominatam, vel in genere *contentum sub istis speciebus*. Sed hæc est *mera petitio principii*. Nam quo jure Papani resolvunt propositionem Christi: *Hoc est corpus meum* i. e. *quod sub specie panis continetur, est corpus meum*, eodem jure resolvi potest, *Hoc est corpus meum* i. e. *id, quod sub pane continetur, est corpus meum*, imò longe potiori jure; nam *panem accepisse Christum & fregisse*, non possunt inficiari Papistæ, at *panis substantiam periisse & sola accidentia remanere, & sub istis corpus Christi distribui*, merum est commentum. Hinc diffisus tandem Bellar. huic explicationi & probationi à verbis ipsius Christi *ad locum communem authoritatis Ecclesiæ* sese recepit; *licet in verbis Domini esset aliqua ambiguitas vel obscuritas, ea tamen sublata est per multa Concilia, Ecclesiæ & Patrum consensum*. Sed quomodo sublata? *Scotus & Cameracensis* negant, *fuisse hoc dogma ante Concilium Lateranense. Gelasius Papa*, fatente *Valentiano, eidem apertè contradixit, quando dixit, substantiam panis & vini in Eucharistia naturâ suâ non amittere* l. de duabus naturis in Christo contra Eutychium & Nestorium. *Cassander* in Consult. p. 66. ingenuè fatetur, *Transsubstantiationem & re & nomine novam esse; eamq. sero definitam esse Ecclesiam* ait *Erasmus* in Annot. in 1. Corinth. 17. p. 117. Nos breviter ita ex verbis institutionis arguimus. Demonstrativum

Hoc aut notat *corpus Christi*, aut *panem*, aut *totum aliquod complexum Sacramentale, quod re terrena & cælesti, pane & corpore Christi constat*. Non autem denotat *corpus Christi*, quia sic esset *identica & Tautologica prædicatio, Corpus est corpus*; nec admittit illud Papistica hypothesis, qua statuunt, quòd *corpus Christi non sit prius, quam prolata sit integra sententia Christi*, *Bell.* l. 3. de Euch. c. 24. Quod si v. *panem* designat, iterum evanescit *figmentum Transsubstantiationis*. Nam hac ratione erit prædicatio disparati de *disparato*, quod acriter impugnãt Papistæ; quod non faciat pro sua transsubstantiatione, sed potiꝰ eandem evertat. *Hagerus Jesuita* in Collatione Confess. August. art. 10. *Si Christus panem intellexit voce τοῦτο, sequetur sensus impossibilis. Hic panis est corpus meum, quod contradictionem implicat. Bell.* l. 1. de Euch. c. 10. urget, quod *demonstrativum ponatur in genere neutro, hanc autem constructionem impingere in Grammaticam, ἄρτος τοῦτο* Cùm ergò nec *corpus* seorsim, nec *panis* seorsim designetur voce δεικτικῇ, oportet dicere, quod *more loquendi usitatissimo* totum complexum indicetur. Nam hæc est *exhibitivarum propositionum* ratio communissima, *ut ostensis rebus diversis inter se unitis in subjecto demonstrent totũ complexum, in prædicato exprimant naturam digniorem & minꝰ sensui obviam*, Proinde vox τοῦτο est *connotativa tam ejus, quod antecedit*, de quo dicitur, *quod Christus id sumserit in manus, quod ei benedixerit, quod fregerit, quod porrexerit discipulis, quod ꝙ ipsos manducare jusserit, panis sc. Eucharistici* (quod si negent Papistæ, Deo reddant rationem, cur vocula relativa non sit referenda ad *antecedentia, & cur ab evidentia textus discedendum sit*) quàm ejus, quod in *consequente* vel *prædicato* exprimitur corporis Christi, ex indole istarum locutionum. Quod negare nequit *Bell.* ideoq; largitur *in propositionibus Synecdochicis de re continenti & contenta, pronomen* Hoc *posse demonstrare tam rem continentem, quàm rem contentam*; quanquam per vanam *petitionẽ principii* addat, *in Eucharistia non substantiam panis, sed sola accidentia locum habere continentis*. Gregorꝰ

de

de Valentia ipse sic resoluit *contra D. Herbrandum* hanc propositionem: *Hoc, substantia*, inquit, *tota, quam manibus tenebat demonstrando, est corpus meum. Costerus* in Enchiridio p. 350. ita exponit. *Hoc ipsum, quod vobis trado manducandum, est corpus meum.*

III. Quicquid Christ9 in institutione *accepit, benedixit, fregit, ac distribuit*, hoc ipsum manducare jussit. At *panem*, non panis simulacrum, *substantiam panis, non* accidentia nuda *accepit, benedixit &c.* ut constat è verbis institut. *Matt. 26. 26. Marc. 14. 22. 19. 1. Cor. 11. 23. E.*

IV. Quodcunq; præstò est in Eucharistia, id manducari & bibi debet. At *accidentia nuda panis aut vini* manducari vel bibi nequeunt. E. in Sacrà Cœnà non sunt nuda panis & vini accidentia.

V. Cum quo manducatur corpus Christi, id non est substantialiter ipsum corpus Christi. At *cum pane Eucharistico* manducatur Corpus Christi. vi institutionis. E.

VI. Quæ inter se uniuntur *Sacramentaliter*, ea inter se esse non transsubstantiantur; cùm unio nihil immutet in proprietate naturæ unitorum. At panis & corpus Christi uniuntur Sacramentaliter. E.

VII. Quod est *communicatio corporis Christi*, id non transit in substantiam corporis Christi, quia κοινωνία & μεταβολὴ consistere nequeunt; & *nihil potest propriè dici communicatio sui ipsius*; nam communicatio est plurium inter se unitorum; cum *relatio non sit, nisi inter plura*. Quando ergò unum dicitur κοινωνία alterius, tunc certè locum habere nequit rei unius in alteram conversio. Atqui panis est communicatio corporis Christi 1. *Cor.* 10. 16.

IIX. Quod est, illud non desiit esse, aut fuit, nisi *esse & fuisse, præteritum & præsens*, τὸ μὴ ὂν καὶ τὸ ὄν, ἀνυπαρξία & ὕπαρξις pro iisdem habenda sint. Sed panis in S. Cœnâ est, cum dicatur *corpus Christi*. Nam si non est, tũ id, quod est, prædicabitur de

c. 18. Quartò Thomas part. 3. q. 65. art. 2. non potest, inquit, *esse aliquid alicubi, ubi prius non erat, nisi vel per locì mutationem vel eo*, quod fuit & non est amplius. E. panis non desiit esse, aut fuit.

IX. De quo prædicatur corpus Christi *paronymicè*, id non est *substantialiter* ipsum corpus Christi. At de pane Eucharistico prædicatur corpus Christi paronymicè: *Panis est corpus Christi*: Nam hanc prædicationem *impropriam* esse negant adversus *Calv.* E. erit *propria*; & proinde vel *Synonymica*, vel *Paronymica*; non autem est *Synonymica*, nisi dicere velis, *corpus Christi esse de essentia panis*, vel etiam *ejus, quod non est*; siquidem panem non amplius esse dicant, vel denique *accidentium panis*; E. erit *Paronymica*, adeoque inferet non μεταστοιχειωσιν sed συνουσιαν, vel *unionem* ut *omnes paronymicæ prædicationes*.

X. Panis post consecrationem aut *revera* est panis, aut *saltem* ἀκυρολογως. At non est tantum panis æquivocè, cum disertè vocetur panis à Spiritu S. idq; absque improprietate, & quidem δειχτικῶς *panis hic* post ipsam consecrationem 1. *Cor.* 11. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc.* Item. *Quicunque manducaverit panem hunc indignè.* Item, *Probet seipsum homo & sic de pane illo edat.* Quod si *impropriè* panis hic acciperetur, alibi explicari deberet; *nam Scriptura, cum accipit impropriè, continuò id ipsum explicat*, fatente *Bell.* l. 1. de Euch. c. 10. *Non oportet negare proprium & genuinum sensum literæ sine urgentissima ratione*, ait *Bell.* l. 1. de Missa c. 12. Adde, quod *Bell.* l. 1. de Euch. c. ult. *admodum fluctuet*, quid *per panem intelligi debeat*; *Respondent nonnulli*, inquit, *Eucharistiam vocari panem per tropum, quia ante fuit panis; sed hæc solutio non videtur solidissima, Secundò dici potest, Scripturam vocare res ordinariè, ut apparent exterius. Tertiò addit, dici potest, & meo quidem judicio optimè, vocari panem phrasi Hebræa quia, nomine panis generatim intelligitur omnis cibus.* At o-

prima

prima hæc Bell. explicatio est *falsissima*, cùm panis hic non generatim pro *quovis cibo*, *sed speciatim ac propriè* de *illo ipso pane*, *quem adhibuit Christus*, usurpetur, unde notanter, dicitur *quī manducaverit panem hunc &c.* ut respectus habeatur ad illum ipsum panem, *quem accepit Dominus, fregit, ac distribuit.*

XI. Dogma Transsubstantiationis pugnat cum *analogia fidei*, quia evertit *I. Sacramenti integritatem.* Omne enim *Sacramentum*, & in specie *Eucharistia*, dicente *Irenæo* l. 3. c. 34. *constat duabus rebus, terrena & cœlesti. II. Negat unionem Sacramentalem*, quæ enim transsubstantiantur, ea nequeunt esse unita. *III. Labefactat manducationem Sacramentalem*; nam accidentia nuda manducari nequeunt. *IV. Tollit Sacramenti finem*; si enim panis desinit esse panis, quomodo erit medium percipiendi beneficia Christi. *V. Imminuit benedictionem divinam*, cujus est res conservare, non verò annihilare. *VI. Adscribit sacerdotibus divinam potestatem conficiendi corpus & sanguinem Christi*; unde *Stella Clericorum* vocat Sacrificulos *creatores sui creatoris. VII. Tribuit verbis vim magicam. IIX. Infert plura & innumera Christi corpora de novo producta*, in qvavis Eucharistiæ administratione, vel certè *deducit corpus Christi de Cœlo*; nam si *corpus Christi extra Cœnæ usum est in Cœlo, & vi verborum institutionis eò detrahitur, ubi antea non erat, oportet intervenire motum quendam localem*, ut ipse *Thomas* concludit. *IX. Gignit multas superstitiones & errores alios.* Vid. ἀρτολατρείαν, *repositionem hostiæ consecratæ, circumgestationem, delitescentiam corporis Christi sub accidentibus panis, quàm diu illa durant. &c.*

XII. Dogma *Transsubstantiationis* est ἀντιφατικὸν & ἄλογον Modo enim *primò ex pane fieri docent corpo christi, tanquam ex materiâ*, modo id negant *Bellar.* l. 3. de Euch. c. 18. §. ex quo & c. 23. §. 2. Secundo *corpus Christi generari ex pane* itidē & affirmat & negat *Bell.* l. 3. c. 24. Tertiò *conversionem productivam* inficiatur, & approbat tamē *transsubstantiationē* l. 3. de Euch.

per alterius conversionem in ipsum; illam improbat, hanc verò adstruit. E. Contra *Bell.* nec loci mutationem, nec conversivam productionem admittit, & tamen adesse corpus Christi credit. Quintò, alii *conversionem essentialem* asserunt cùm *Concil. Trid.* alii *annihilationem, conversionem*, quam absurdè vocant *successivam*, cum *Concil. Lateranensi. illi* panem fieri corpus Christi ajunt; *hi* adduci in vicem panis totaliter annihilati corpus Christi; *alii* conjungunt & confundunt has sententias ἀντιδιαμέτρως oppositas. Sextò, *Moschus panem & vinum mutari* ait *in corpus Christi & sanguinem*, & negat tamen *ex materia panis & vini fieri corpus & sanguinem Christi*. Septimò, *Vega segregari* docet *sanguinem à corpore Christi*, alii *negant; ille* inficiatur integrum Christum adesse sub qualibet specie, *hi* adserunt. *Octavò, divinitatẽ sub specie panis esse per concoitantiam* modò negat, modo affirmat Bell. l. 4. de Euch. c. 23. *Nonò, Corpus Christi tam citò in cœlum rapi ab Angelis, quàm citò hostia dentibus teritur*, ait *Glossa decreti*, alii hunc sive *ascensum*, sive *raptum* negant. *Decimò, Scarga* concedit *corporis Christi corruptionem*, inficiatur eandem *Turianus. Undecimò, ille* docet cessantibus speciebus cessare corpus Christi, contradicit *Vega. Duodecimò* corpus Christi corruptis stomacho speciebus sine ulla læsione desinere ibi esse statuit *Bell.* l. 1. c. 14. *alii* corpus Christi manere in nobis, tanquam semen vivificum.

XIII. *Absurditatum* magna hic est sedes *I. Quotidiana annihilatio II. Accidentia sine subjecto. III. Unio substantiæ & accidentium ad unum suppositum sine accidentali inhærentia. IV. Accidens subjectum accidentis. V. Accidentia prædita substantialibꝰ proprietatibus VI. Effectus sine causa &c.*

XIV. Addimus tandem suffragia Bertrami, qui circa A. C. 850, prorsus negavit conversionẽ, *Scoti*, qui multa inconvenientia eandem sequi docuit, quæ & *Occami & Petri de Aliaco* sententia fuit. *Cassander* sugillat Transsubstantiationẽ in Consult. p. 940. Refelli quoq; eadem potest, è c. *qui manducant dist. 2. de Consecr.* ut & è c. *Hoc est, quod dicimus, distinct. Eadem ex*

Augu-

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0140
Mecklenburg Vorpommern

Augustino. Quid quod *Gelasius Papa lib. de Duab: naturis in Christo* diserte eandem reprobarit. *Sicut & in Christo duæ naturæ, ex quibus constat, propriè permanent; sic & panis ac vinum permanent in suæ naturæ proprietate, & ita transeunt in substantiam corporis & sanguinis Christi, ut tamen substantia vel naturà panis & vini non desinat.*

CONTROVERSIA VI.

Utrum panis consecratus extra usum à Christo institutum verè & simpliciter sit Sacramentum, prout asservatur in pyxide?

POntificii solent *panem consecratum reponere, & aliquot in pyxide vel conopæo in usus futuros asservare*, quem morem *omnino retinendum & salutarem esse* definivit *Concil. Trid.* Sess. 13. c. 6. & *anathema* dixit *negantibus* Can. 7. De ejusmodi pane consecrato, *etiamsi non sumatur, sed in pyxide asservetur*, contendunt, *quod verè & propriè sit Sacramentum, in quo omnes Catholicos convenire* ait *Bell.* l. 4. de Euch. c. 2. *Costerus* in Euch. c. 8. testatur, *honorari Christi corpus* (in Papatu,) *dum asservatur, & pretiosis vasis imponitur in recordationem sepulturæ Dominicæ.*

Nos & repositionis istius morem reprobamus, nec ullatenus concedimus, *panem consecratum extra usum manducationis à Christo institutæ, vere ac propriè sacramentum esse, aut corpus Christi sacramentali præsentia extra distributionem & perceptionem Sacramentalem adesse.* Ritum prædictum *repositionis* reprobamus.

I. Ob *institutionem Christi*, qui panem consecratum *manducare* jussit, non *reponere ac reservare. Accipite, manducate &c. Matth. 26. 26.* quod etiam nobis observandum præscripsit verbis: *Hoc facite.* Quod si juxta *primam institutionem Cœna celebranda est*, utique statim *post consecrationem panis* distribuendus, non verò asservandus erit.

II. Ob

II. *Ob testificationem Apostoli*, qui 1. *Cor.* 10. 16. docet, *panē, quem frangimus, esse* κοινωνίαν *corporis Christi.* Qvicunqve ergò panis non frangitur seu distribuitur, ille non est participatio corporis Christi. At panis, *qui asservatur & reponitur*, non frangitur aut distributur. Item ubi *nulla est* κοινωνία *seu participatio corporis Christi, ibi non est vere & proprie Sacramentum.* At cùm panis tantùm reponitur & asservatur, non est κοινωνία corporis Christi.

III. *Ob exemplum Apostolorum:* Hi enim non asservarunt panem consecratum, sed statim manducarunt in Eucharistiæ celebratione. At quis ambiget juxta exemplum Apostolorum Sacram Cœnam celebrandam esse?

IV. *Ob praxin Ecclesiæ Apostolicæ*, quæ non reposuisse legitur panam consecratum, sed simul atque consecratus fuit distribuisse, æquè uti calix consecratus statim distributus fuit. 1. *Cor.* 11. 26. 28.

V. *Ob finem consecrationis*; Quod si enim finis consecrationis unicè est *distributio*, nec consecratur panis, nisi ut distribuatur & accipiatur, utique non erit reponendus & asservandus; cùm *extra finem & Christi instituentis intentionem* hîc nihil suscipiendum sit. At finis consecrationis panis tantùm est distributio; perinde ut *calix* non consecratur, nisi ut distribuatur, & accipiatur; minimè verò ut calix consecratus asservetur. Eadem enim utriusque & panis & vini consecrati est ratio, quantum ad *finem consecrationis.*

VI. *Ob falsum ritus istius fundamentum.* Nititur enim ritus ille *transsubstantiationis commento*, ceu *fundamento*; destructâ ergo transsubstantiatione, nullus amplius locus erit asservationi.

VII. *Ob incommoda consequentia*; quandoquidem oriatur hîc divisio Sacramenti, cùm *solo panis* asservetur, non *calix cōsecratus*; & *occasio* præbeatur *irreverentiæ*, cū panis consecratꝰ, cum asservatur, facile mucidꝰ fiat, corrumpatur à muribꝰ,

arrodi

arrodi posſit, unde ineptæ Papiſtarum diſputationes de pane Euchariſtico à muribus comeſo, de qvibus vid. *Mus exenteratus Wilhelm. Holderi.*

IIX. *Ob varias ſuperſtitiones.* Qvæ huic hypotheſi ſuperſtruuntur; præprimis qvod *panis conſecrato ſolennibus proceſſionibus circumferatur*, uti *Concil. Trid.* Seſſ. 13. c. 6. definivit, qvem morem *ab Ethnicorum ritibus* originem trahere non diſſimulat *Gloſſa c. Non oportet, de Conſ. diſp. 1. Biel. lect 49. in Can. Miſſæ* ab *Honorio III. demum invectũ eſſe* fatetur Anno 1206. *antea fuiſſe in Eccleſia ignotum.* Huc pertinet *feſtum ſuperſtitioſum corporis Chriſti*, ut & ſcenicæ ac theatricæ illæ vanitates in circumgeſtatione adhiberi ſolitæ, qvas *non poſſe non rideri ab Hæreticis* ait, meritoqve improbat *Lorichius* inſt. Cath. de Sacramento Euch. p. 74.

IX. Qvibus addimus *Confeſſionem Bell.* l. 4. de Euch. c. 5. §. ſecundo loco, *verum eſſe, Dominum non juſſiſſe Euchariſtiam à ſe conſecratam differri in craſtinum*, ut & dictum Clementis c. *Tribus Gradibus Diſt. 2. de Conſecr.* adductum, *non reſervandum eſſe in craſtinum, ſi qvod remanſerit in Sacra Cœna, ſed cum timore & tremore à Clericis conſumendum.* Item, qvod *Concil. Toletanum primum* definiverit Can. 14. *Si qvis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumſerit, velut Sacri legum propellendum eſſe.* Qvid qvod *Caſſander* in Conſ. art. 20. doceat *Hubertum Epiſcopum adverſus præſanctificata Græcorum ita diſputaſſe, ut demonſtrarit, qvod Dominus non imperfectam, ſed perfectam commemorationem ſuis Diſcipulis tradiderit, in pane ſc. benedicto, & mox fracto atq; diſtributo.*

Profligato itaqve ritu repoſitionis, facilè patet, *panem conſecratum atqve ità reſervatum extra manducationis uſum non eſſe pro Sacramento habendum.*

I. Qvicqvid enim pugnat cum verbo inſtitutionis, id non poteſt haberi pro vero Sacramento à Chriſto inſtituto.

II. Ad Euchariſtiæ Sacramentum conſtituendum pertinet non ſolũ *conſecratio*, ſed panis *conſecrati diſtributio, & manducatio*

catio Matth. 26. 26. 1. Cor. 11. 36, ubi ergò hæc non est, ibi non datur Sacramentum.

III. Ubi nulla *panis fractio vel distributio fit*, ibi nec datur corporis Christi κοινωνία vel communio, qvia ille demum panis est κοινωνία corporis Christi, qvem frangimus 1. *Cor. 10. 16.*

IV. Ubi corpo Christi *Sacramentaliter adest*, ibi Sacramentalis participatio seu fruitio corporis Christi interveniat, necessum est; qvandoqvidem panis non sit corpus Christi, nisi qvatenus est κοινωνία corporis Christi *1. Cor. 10. 16.*

V. Ad *integritatem Sacræ Cœnæ* pertinent non tantum panis Eucharisticus, sed etiam *calix Benedictus*, ut postea probabitur. Qvi ergò solus panis consecratus & asservatus pro Eucharistiâ haberi possit.

VI. *Natura* Sacramenti *in actione* consistit δόσει & λήψει: *Sacramentum rem permanentem esse* nunqvam probabitur. Ubi ergo non est distributio & acceptio, ibi non est Sacramentum.

VII. *Summa Angelica Membro 3. q. 9.* fatetur, *Christum non esse sub hoc Sacramento, nisi qvatenus est ordinabilis ad usum humanum, sc. ad manducationem. Georg. Cassander* in Conf. art. 10. agnoscit, hoc *Sacramentum, ut reliqva Sacramenta, in ipso usu & actione* [qvæ est sumptio seu manducatio & potio] *perfici, idq; idem à Scholasticis qvibusdam asseri, atq; hac ratione à veteribus qvoq; hoc Sacramentum nominibus actionem significantibus appellari, ut sunt Synaxis, Communicatio, perceptio corporis & sanguinis Domini.*

CONTROVERSIA VII.

Utrum Laicis solùm panis an verò etiam calix Eucharisticus dispensandus sit?

CConcilium Constantiense An. 1415. Sess. decrevit 73. qvod *licet Christus sub utraq; specie panis & vini venerabile hoc Sacramentum administraverit, tamen hoc non obstante consuetudo rationabiliter introducta sit, ut à Laicis tantummodo sub una specie panis sumatur. Concil. Trid.* Sess. 21. cap. 1. definivit,

nulla

nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utrâq; specie sumendum; cap. 2. approbavit *consuetudinem sub altera specie communicandi, & pro lege habendam decrevit, anathema* etiam dixit *Can. 1. & 2.* qvi eam *errorem* dicunt, *vel ex Dei præcepto omnes fideles utramq; speciem sumere debere adstruunt*. Nos decretis hisce opponimus.

I. Christi institutionem. Quæcunq; Symbola Christus conjunctim instituit, ea nulli hominum fas est separare. At Christus *conjunctim* instituit *panem, & vinum Eucharisticum*. *Matt. 26. 26. E.*

II. *Mandatum Christi generale, Hoc facite.* Quicquid Christus faciendum in Euchar: præcepit, id sanctè observandum est. At Christus præcepit in Sacra Euchar: non tantum *manducationem*, sed & *bibitionem* verbo: *Hoc facite: Luc. 22. 19. E.*

III. *Universale bibendi præceptum.* Quod Christus facere jussit *omnes*. qui Sacra Cœna fruuntur, id *omnes* facere tenentur. At *omnes*, qui Sacra fruuntur Cœna in *persona Apostolorum*, utpote qui omnes communicantes repræsentarunt, *jussit* Christus *bibere Matt. 26. 27.* Bibite ex eo omnes.

IV. *Exemplum Apostolorum primam Cœnam celebrantium.* Si enim Apostoli non tantum manducarunt, sed biberunt omnes in celebratione Sacræ Cœnæ, utiq; omnes Sacram Cœnam accedentes non solum panem Eucharisticum, sed etiam vinum benedictum percipere debent; Ratio est, qvia *Apostoli* hic repræsentarunt non *personam Clericorum conficientium*, cum Christus immediate Sacramentũ hoc confecerit, sed *omniũ communicantiũ*. At verum prius *E.* & posterius.

V. *Repetitionem Apostolicam*; Dum enim *abusus in Ecclesia Corinthiacâ* circa Eucharistiã corrigendi erant, revocabantur Corinthii laici unice ad *institutionis Christi normam*, & juxta eandem Sacram Cœnam celebrare jubebantur 1. *Cor.* 11. ubi quidem Apostolus non minus diligenter inculcat *præceptum de bibitione vini Eucharistici*, quam de *manducatione panis benedicti*.

VI. *Eucharistiæ descriptionem.* Apostolus enim ita describit Eucharistiam, nimirum per *manducationem panis & bibitionem calicis benedicti.* 1. Cor. 11. 27. *Quotiescunq; manducaveritis panem hunc, & biberitis calicem hunc, mortem Domini annunciabitis usq; ad adventũ Domini.* Ubi manifestum est, quod *Sacram Eucharistiam celebrare* secundum Apostolum nihil aliud sit, quàm *manducare panem benedictum & bibere de calice Eucharistico*, quodq; eatenus Cœna Domini celebranda sit, usque ad adventum Domini.

VII. *Specialem eorum mentionem*, qui participare debent calicem benedictum; illos quippe vult Apostolus bibere calicem Domini, quos *à calice Dæmoniorum arcet* 1. Cor. 10. 21. At Laicos arcet ibidem Apostolus *à Dæmoniorum calice.*

VIII. *Injunctam annunciationem mortis Dominicæ; & sui ipsius probationem.* Illos enim omnes vult Apostolus bibere Calicem Domini, quos in usu Eucharistiæ mortem Domini annunciare, & ante ejusdem usum sese probare jubet 1. Cor. 11. 26. 28. At id jubet non tantum Laicos, sed omnes, qui Sacram Cœnam accedunt. E.

IX. *Reatus cautelam*; illi enim in Sacra Cœna cum pane Eucharistico calice Domini frui debent, qui *cavere jubentur, ne indigne manducando & bibendo reatum incurrant corporis & sanguinis Domini.* At id jubentur non tantum Clerici sed & Laici. E.

X. *Apostolicam Sacræ Cœnæ explicationem.* Quia Sacramentum hoc ita explicatur ab Apostolo 1. cor. 10 v. 16. quod nempè sit κοινωνία *communicatio corporis Christi cum pane Eucharistico & sanguinis Christi cum calice benedicto.* Qui ergò *solius panis Eucharistici* distributione Sacramentum hoc definiunt, illi apertè refragantur Apostolo; quippe qui *utrumq;* ad Sacramentum requirit *& panis & calicis benedicti distributionem.*

XI. *Exemplum primitivæ Apostolicæ Ecclesiæ.* Negari enim non potest, eam *integrum Sacramentum*, calicẽ pariter Eucharisticum & panem benedictũ omnib9 distribuisse, ut è 1. Cor. 10. &

10. & 11. evidenter liquet. Quis verò certior interpres institutionis Christi, quàm ipsa Apostolica Ecclesia?

XII. *Sacramenti integritatem.* Nam aut *solio panis Eucharistici distributio*, aut *conjuncta* simul *calicis dispensatio* integrum Sacramentum constituit. *Sirius*, cur Christus præter *panem* instituit *vinum*? cur *duas partes* Sacræ Cœnæ constituit? Quod si *integritas ejusdem* constat *solius panis distributione*, utiq; *vini distributio* supervacanea, frustraq; instituta erit. Si *integrum Sacramentum* est solus panis Eucharisticus, utiq; *vini distributio* aliquid solùm accessorium erit, quod Sacramento per se integro accedat, nec ad ejo integritatem pertineat, quod absurdum. Si *posterius*; non ergò integrum Sacramentum participabunt, qui solo pane fruuntur Eucharistico.

XIII. *Testamenti autoritatem.* Nulla pars *Testamenti, ipsius Christi morte confirmati*, abrogari potest sine ingenti Sacrilegio *Gal.* 3.15. At calicis distributio est pars Testamenti Christi, ipsius morte confirmati: quæ non tantum *quibusdam*, sed *omnibus* injuncta est communicantibus. Non enim vel in *subjectis* ipsis diversitas est in verbis Testam: quum iisdem dictum sit *bibite*, quibus dictum est *edite*; vel *in modo obligandi*, quum *æquè efficaciter* obliget uterq; *imperativus. E.*

XIV. *Concomitantiæ falsitatem*; Quia *subtractio calicis* falso nititur *concomitantiæ fundamento*; quandoquidem *è verbis cœnæ probari non possit concomitantia*, fatente Bell. l. 4. de Euch. c. 21. §. sed antequam & § sed hæc sententia. *Suarez*: in part. 3. Thomæ disp. 51. sect. 3. *ingentem dicit temeritatem esse & errorem magnum, vi verborum Christi sub specie panis aliquid amplius esse, quam corpus. Innocentius* l. 4. de Mysterio Missæ c. 21. agnoscit, *sicut nec sanguis comeditur, nec corpus bibitur, ita neutrum sub specie panis bibi, aut sub specie vini comedi.*

XV. *Consequens incommodum.* Quod si enim *Laici* calice privandi sunt, carebunt iidē quoq; solatio & fructu salutari, qui è calicis distributione redundat, quia testatur Christo, *hūc calicem esse Novi T. in suo sanguine, & distribui eundem sanguinē*

pro nobis effusũ in remissionẽ peccatorum. Quò facit, quod *Vasquetz* fatetur tom. 3. disp. *212. majorẽ utilitatẽ percipi ex cõmunione sub utraq; specie quã una:* quodq; *Bell.* l. 4. de Euch. c. 23. resp. ad 4. argumentum agnoscat, *Eucharistiam sub specie panis non conferre gratiam, nisi tota sumptione Eucharistiæ absoluta.*

XVI. *Praxin Ecclesiæ Christianæ.* Notum quippe est, nõ tantum *totam Ecclesiam Græcam in hunc usq; diem Communionẽ sub utraq; ceu necessariam amplecti,* sed & *in Ecclesia Latina eandem semper viguisse usq; ad Conc. Constantiense,* id quod fatetur *Lindan.* l. 4. Panoplias Evangelicæ c. 26. *Cusano* Epist. 2. ad Bohem. docet, *necessitatem* quoq; *utriusq; speciei vi præcepti Christi & verbo & opere adstruxisse olim sanctissimos viros: Petr. à Soto instr. Sacerd. lect. 10. è Gelas. & Leon. in serm. 4. Quadr.* confirmat *quod Communio sub una specie contraria tunc fuerit consuetudini Catholicorum. Cassander è liturgiis Ecclesiarum Græc. Russarum, Armeniarum, Abyssinarum &c.* demonstrat usum utriusq; speciei, aitq; *Ecclesiam Orientalem quidem in hunc usq; diẽ, occidentalem verò, sive Romanam mille amplius annis continuis non aliter quam sub duplici hac specie Sacramentum hoc administrasse,* de Comm. sub utr. p. 1025. Et certum omnino est, *nullum ex antiquitate produci posse testimonium, quo usus unius speciei publicè in Ecclesia usurpatus, nedum publicâ Ecclesiæ sententiâ* confirmatus fuisse doceatur, tantum abest, ut ulla lege Laicis integra Communio interdicta fuerit, quod ne quidem in *Conc. Constant.* factum esse, etsi usus unius speciei ibi defensus sit, *Lind.* l. 5. pan. p. 343. inde probat, quod *à Concilio illo nihil in Græcanica aut Orientali aut Indiana, imò Septentrionali Ecclesia nihil de Communione sub utraq; fuerit immutatum, ut nec in Romana, quando in hunc usq; diem consecrante Pontifice Diaconus non consciens de calice tamen combibat.*

XVII. *Testimonia Pontificiorum. Clementis Romani* l. 8. Constitut. c. 61. *accipiunt singuli per se ordine Dominicum corpus & pretiosum sanguinem. Paschasii* l. de corp. & Sang. Domini c. 15. *accipite & bibite ex hoc omnes, tam ministri quàm reliqui credentes;*

Durand.

Durandi, qui l. 4. Rationalis divinorum offic. c. 54. ait, *Solùm hostiam recipiens non plenum Sacramentaliter recipit Sacramentum; etsi enim in hostia consecrata sit sanguis christi, non tamen est ibi Sacramentaliter &c.* Conf. *Thomas* part. 3. qu. 8. art. 12. *Cassand. in peculiari scripto de Comm. sub utrag.* ostendit *Thomæ Elysii, Peresii, Algeri, Dithmari, Bernonis, ipsius q; Romani ordinis suffragiis*, quod *utriusq; speciei sumtionem ad omnem legitimam Communionem requisiverint usurpantes* subinde illud *B. Augustini: Nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne communicatur &c.* Vid. & c. *comperimus dist. 2. de cons.* ut & c. *in Cœnâ dist. ead. & de dissensu* in Conc. Trid. *Petr. Suav.* l. 5. p. 515. l. 6. p. 638. nec non *Cassand.* l. c.

CONTROVERSIA. VIII.

An Confirmatio verè & propriè sit Sacramentum?

ITa definivit sub anathemate *conc. Trid.* Sess. 7. c. 1. Describunt autem Pontificii Confirmationem h. m. *quod materia ejus remota sit oleum balsamo admixtum, at q; ab Episcopo consecratum, proxima verò unctio ab eodem facta in fronte ad figuram crucis. Forma* ejus esse dicitur, *consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filii & S. Spiritus. Effectum* ejus esse dicũt *duplicem I.* quod *conferat gratiam gratum facientem, & quidem majorem, quàm ipse Baptismus in ordine ad roborandam animam contra Diaboli impetus. II.* quod *imprimat characterem indelebilem, quo adscribamur in christi militiam*, Bell. de Confirm. c. 8. 10. 11.

Nos *Confirmationem* ita descriptam vel adhibendam esse necessariò, aut verè proprieque Sacramentum esse prorsus inficiamur.

I. *Ob defectum præcepti divini.* Omne Sacramentum nititur mandato divino. Confirmatio autem ejusmodi nullum habet divinum mandatum. Ubi enim demandata est *Chrism. ex oleo & balsamo præparatio?* ubi præcepta *consecrati chrismatis inunctio?* ubi *unctionis præscri-*

pta

pta formula? Nuspiam in S. literis hæc præcepta esse plerique omnes agnoscere tenentur, ideoque *ad traditionem* sese recipiunt. *Mandatum expresse non haberi in Scr.* fatetur *Bell.c.24. Gregor. de Valentia è Script. juxta traditionem Ecclesiasticam intellectis id tantum probare* conatur quod *in quibusdam locis effectus significetur, & alicubi etiam ritus. Quod autem* in Scr. mandata sit Confirmatio, asserere non audet.

II. *Ob defectum institutionis.* Omne Sacramentum N. T. *à Christo institutum est*, quod cum *Biele & Altenstaigio* plerique *fatentur.* At Confir. non fuit à Christo instituta; aut monstrent adversarii, ubi nam instituta sit? Fatentur plerique, *mandato expresso institutam non esse, actu* tamen *ipso* institutam esse ajunt. At ne actum quidem ullum Christi è Scripturis proferre possunt. In *Spiritus S. insufflatione Joh.20. factâ Dominicus à Soto*, ut & *Suaretzius* agnoscunt *non reperiri ullum vestigium hujus Sacramenti* Fatetur etiam Suaretz, *Christum nunquam suis manibus dedisse hoc Sacramentum, imo neque ante ascensionem ejus ab aliquo fuisse ministratum* Disp. 32. Sect. 2. *Durand.* de ritibus Eccl. c.7. fatetur *in Conc. demum Florentino constitutum fuisse, Confirm. esse Sacramentum.*

III. *Ob defectum promissionis.* Nuspiam enim ritui ejusmodi *unctionis Chrismatis* promissio facta est *gratiæ spiritualis*; nuspiam ad *roborandam animam eundem valere contra Diaboli impetus* vel verbo significatum est; nuspiam *majorem gratiam ipsam cõferre, quam Baptismum indicatum; Nullus uspiam character extat de charactere indelebili.* Loc. *2.Cor. 1. 21.* agit de *obsignatione interiori*, quæ fit per *Spiritum S.* non autem eam fieri *per Confirmationem* docet. Et fatetur *Vasquetz*, eundem melius referri ad *Baptismum*, quam *Confirmationem. Estius* explicat de *variis donis Spiritus Sancti Ministris concessis. Cornelius à Lapide de* donis fidelium. *Paniter 1. Joh. 2. 27. Unctionis* nomine Metaphoricè *gratia Spiritus S.* significatur, explicante *Estio*, non verò *propriè* ritus unctionis *gratiam conferre* innuitur.

IV. *Ob defectum exempli probati*: Quandoquidem nullum exem-

exemplum ejusmodi Confirmationis proferri possit è Scr. *Imposuerunt* quidem Apostoli *manus* Baptizatis, sed *Chrisma tale adhibitum esse* nuspiam innuitur, nuspiam *frontem inunctam* esse docetur. *Collatio etiam donorum Spiritus S. extraordinariorum*, quæ per manuum impositionẽ fiebat, ad *primitivam* tantum *Ecclesiam* spectabat ac postmodum in usu esse desiit. Apostolos non confirmàsse per oleum, sed *sola manus impositione Spiritum Sanctum contulisse* fatentur ipsim et Pontificii, *Toletus Cardin: Lorinus, Sanctius in Act. 8. c. v. 17.* ut & *Panormitanus de Consvetudine capite 5.*

V. *Ob negatam authoritatem Ecclesiæ primitivæ*; ad quam hic sese frustra recipiunt Pontificii. *Consvetudo* quidem fuit *priscarum Ecclesiarum*, teste *Cypriano* Epist. 73. *Hieron.* adversus Luciferianos, *ut illi, qui baptizari erant, Episcopis offerentur, quo Spiritum Sanctum per preces ac impositionem manuum acciperent*: interim nec *impositio illa manuum* pro *Sacramento*, sed pro *ritu & consvetudine* solùm habebatur *inungendæ fronti*, nec *certa verborum formula* usurpabatur: testaturq; *Hieronymus*, ad *honorum potiùs Sacerdotii, quàm* ad *legis necessitatem consvetudinem usurpatam esse*. Quæ è Patribus afferri solent pro *unctione*, ea *non de peculiari quodam Confirmationis Sacramento* agunt, sed de *ritu in Baptismo adhiberi solito*, ut fatetur ipse *Alphonsus à Castro* l. 7. adversus Hæreses Verbo. Baptismus, Hæresi 7.

VI. Quid? quod in Papatu *Sacramento Confirmationis* contradixerint *Waldenses, Wicleſus Arnoldistæ, Joh. de Wessala Holcottus, Græci*, aliique quodque *Canonistæ solam manuum impositionem* ad confirmationem requirant, contra *Scholasticos*, qui Chrisma necessariam esse materiam asserunt, à quibus etiam discedunt *Soletus, Lorinus, & Sanctius. Greg. de Valentia* t. 4. in Thomam Disp. 3. observat *communem esse jam sententiam, ex nullo præcepto aut Divino aut Ecclesiastico teneri homines suscipere hoc Sacramentum, ita ut omittere, cũ recipi potest, sit peccatum mortale.*

tale. Qui ergò necessarium id haberi potest, Vi mandati vel institutionis, & qvo pacto, ut Sacramentum suscipiendum, quod nullo nititur præcepto?

CONTROVERSIA IX.

An Pœnitentia verè & propriè sit Sacramentum?

Concil. Trid. Sess. 14. Can. 1. sub anathemate definit, *Pœnitentiam verè & propriè Sacramentum credendum esse.* *Bell.* l. 1. de Pœnit. c. 8. *Pœnitentia* ait, *signis externis manifestata accedente ad eam verbo absolutionis, est Sacramentum novæ legis propriè dictũ.* Quanquam verò *Pœnitentiam Sacramentum dici posse generali significatione* respectu *finis*, nimirũ, *remissionis peccatorũ*, non inficiemur, quo sensu etiã in *Apologia Aug. Confess.* Sacramentis annumeratur, non tamen *propriissima vocis acceptione* Sacramentũ esse admittimus, ita nempe, ut *& materiæ & formæ respectu verorũ Sacramentorũ naturam participet.*

I. *Ob defectum externi & visibilis elementi.* Ad omne *verum proprieque dictum Sacramentum requiritur externum & visibile elementum* verbo mandati & institutionis divinæ sancitum, quod tum *è regula vulgata* liquet: *Accedat verbum ad elementum & erit Sacramentum*, tum è *descriptione generali Sacramentorum* probatur, quâ Sacramentum dicitur esse *invisibilis gratiæ visibilis forma*, quo de videatur *Alstæig in Lexico*; tùm è *Baptismo & Eucharistia* confirmatur, quæ uti omnium consensu verè Sacramenta sunt, ita fatetur *Bell.* l. 1. de Pœnit: c. 11. *naturam ac proprietatem Sacramentorum genericam rectè ex illis investigari*, in quibus utique elementum verbo institutionis comprehensum reperiri, manifestum est. Atqui in Pœnitentiâ non datur ejusmodi *elementũ* verbo institutionis sancitum. Quodnam erit illud? num *externũ pœnitentiæ signum in confitente*, num verò *impositio manus à Sacerdote absolvente facta?* At neq; *hæc*, neq; *illæ* simpliciter necessaria sunt, aut mandato divino sancita, quẽ admodũ *materia Sacramentorũ ita est necessaria, ut sine ea non*

sit

sit Sacramentum. Bell. l. c. ut & l. 5. de Pœnit. c. 15. fatetur, *manuum impositionem non pertinere ad Sacramenti hujus essentiam, itemq; abesse posse signa pœnitentiæ in confitente.* Censent adhæc Pontificii pleriq; *propriam sedem hujus sacramenti esse Joh. 20.* At illic non ordinata est *manuum impositio*, nec *signorum externorum pœnitentiæ* ulla facta est mentio.

II. *Ob defectum materiæ & formæ Sacramentalis.* Omne Sacramentum sua *certa* constat & *forma & materia Sacramentali.* At Pœnitentia non constat certa sive forma Sacramentali. *Plerig. formam* dicunt *absolutionem* cum *concil. Trid.* Sess. 14. c. 3. utpote *Hosius, Bell. Greg. de Valentia &c.* At *absolutio à pœnitentia* distincta est, & consequitur eandem *naturæ ordine*, ideoq; forma esse nequit; nulla enim forma consequitur rem illam, cujq est forma, ordine naturæ. *Thomas* part. 3. q. 84. c. 3. ait, *ea, quæ sunt ex parte pœnitentis habere sese ut materiam, ea quæ ex parte Sacerdotis sunt habere se ut formam.* At quæ in pœnitente sunt ab his, quæ sunt in Sacerdote, distinguuntur suppositis: materia autem & forma suppositis non distinguntur sed simul esse debent, eandemque rem constituere.

III. In omni Sacramento *applicatio externi elementi fit à ministro*, & in applicatione vel actione consistit *forma Sacramenti.* At in Pœnitentia non fit applicatio ejusmodi; *minister* enim non applicat *pœnitentiam*, aut etiam illos *actq*, quos pro *pœnitentia* habent Pontificii, utpote *contritionem, Confessionem & Satisfactionem. Absolutio* insuper non est externi elementi applicatio, unde Bell. ipse *actionem pœnitentis* negat *esse partem Sacramenti*; *nisi quatenus protestati Sacerdotali subjicitur* l. 1. de Pœnit. c. 17. *Franciscani* in Concil. Trid. eo argumento inficiabantur, *Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem materiam esse Sacramenti: quia materiam dicebant esse quiddam à ministro applicatum recipienti, non autem actum ipsum recipientis, sicuti in omnibus apparet Sacramentis. Absurdum itaque esse, pœnitentis actum partem Sacramenti constituere. Imo non minus requiri Contritionem in Sacramento Baptismi, quàm in Pœnitentia, neq; tamen, partem efficere*

ficere Baptismi: teste *Petro Suavi* l. 4. Hist. Concil. Trident. p. 407.

IV. Nullum Sacramentum *propriè* dictum commune est V. & N. T. At Pœnitentia est communis V. & N. T. E. Item Nullum *Sacr. N. T.* locum habuit in V. T. Nam si in N. T. demum est institutum, utique non fuit in V. T. E. non est Sacramentum N. T.

V. Omne Sacramentum N. T. *in praxi Christi & Apostolorum* habet fundamentum. At *Pœnitentia Papistica*, quæ exigit *specialem peccatorum enumerationem & Satisfactionem operis* non habet fundamentum in praxi Christi & Apostolorum, qui solùm *in Nomine Jesu prædicarunt pœnitentiam & remissionem peccatorum* æquè ut à Prophetis in V. T. factum *Luc.* 24. 47. *Act.* 10. 43.

VI. Sacramentum verum esse potest *integrum sine fide*. At Pœnitentia non potest integra esse sine fide. E. pœnitentia non est verum Sacramentum.

VII. Omne Sacramentum est *sigillum quoddam verbo appensum*. At Pœnitentia non est sigillum verbo appensum. E.

VIII. Omne Sacramentum est *medium fidei conferendæ, vel confirmandæ*. At Pœnitentia non est medium fidei; quandoquidem *fides pars sit Pœnitentiæ*.

IX. Quibus denique accedunt suffragia Pontificiorum, qui fatentur *duo tantum esse Sacramenta proprie dicta N. T. Baptismum & Eucharistiam*, quæ supra adducta sunt. Fatetur etiam *Bell.* l. 1. de Pœnit. c. 11. quod *Sacramentum Pœnitentiæ non habeat fundamentum in prædicatione Johannis Baptistæ & Christi ante resurrectionem*. Quod si tum Pœnitentia non fuit Sacramentum *ante resurrectionem Christi*, utiq; etiam post resurrectionem Christi Sacramentum non erit: Quia nihil in pœnitentia occurrit *post resurrectionem Christi*, quod locum non habuerit in pœnitentiâ *ante resurrectionem*.

CONTRO-

CONTROVERSIA X.

Utrum Pœnitentiæ partes sint Contritio & fides, an verò Contritio cordis, Confessio oris, & satisfactio operis?

POntificii tres Pœnitentiæ partes constituunt, nempe *Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, in quâ assertione omnes Catholicos convenire*, ait *Bell.* l. 1. de Pœnit. c. 19. Propositione 15. Nos verò Pœnitentiam *propriè* ac *strictè* acceptam his duabus partibus *propriè* dictis absolvi *profitemur* in *Augustanâ Confessione Art.* 12. nimirum *Contritione & fide*. Non refragatur quidem *Apologia Augustanæ Confess. novam obedientiam haberi posse ut tertiam pœnitentiæ partem*: sed ibi vox *pœnitentiæ* ampliori significatione accipitur prout *totam conversionem cum suis proprietatibus & effectibus complectitur*: vel *etiam partis* nomen *impropriè* intelligendum venit. Porrò partes illas Pœnitentiæ, quas nos assignamus, Pontificii negant. *Bell.* l. 1. de Pœnit. c. 19. Prop. 1. *Terror*, inquit, *animo incussus à lege, quem Lutherani Contritionem appellant, non rectè inter pœnitentiæ partes annumeratur, quam propositionem* conformem esse *Concil. Trid. Sess. 6. Can. 6.* ait. Item *Prop. sequente 2. Fides*, inquit, *non est pars Pœnitentiæ, eamq;* Propositionem itidem *conformem esse Concilio Trid.* docet. Quod ergò primitùs ad Heterodoxiam Pontificiorum, *de tribus Pœnitentiæ partibus*, reprobamus eandem ob has rationes.

I. Quod *è Sacr. probari non possint*, quandoquidem nusquam S. literæ eas *vel leviter* saltem insinuent *prout* à Pontificiis explicantur.

II. Quod *pars necessaria*, sine quâ salutaris non est pœnitentia hîc comittatur, quæ est *fides in Christum*, quia *sine fide impossibile est placere Deo Heb.* 11. 6. Sine fide pœnitentia non est *medium salutare remissionis peccatorum*, utpote quæ soli fidei passim in S. literis vindicatur.

III. Quod *accidentales ritus* partibus *constitutivis* annume-

rentur; quia *confessio oris* est actus merè accidentalis, cum vera possit esse pœnitentia sine *orali confessione*, dum modo seriò de peccatis doleamꝰ, Deoq; cor contritum immolemus. *Mulcta* etiam illa *Ecclesiastica*, quæ pœnitentibꝰ imponi quondam consueverat, quam nunc dicunt Pontificii *Satisfactionem operis* non est *de essentia pœnitentiæ*, sed ejus *consequens* erat, idq; non omninò necessarium, sed *adiaphorum* & *indifferens*, *à consuetudine*, & *usurpatione Ecclesiæ*, minimè verò à *constitutione*, & *legè Christi vel Apostolorum* dependens.

IV. Quod falsò adscribatur *Contritioni*, *Confessioni orali*, & *satisfactioni*, *actibus* sc. *humanis remissio peccatorũ*, quam unicè *fidei* tribuit S.S. nullum aliud *ex parte nostri* agnoscens *medium* quo apprehendatur *peccatorum remissio*; *actꝰ* verò *humanos* & *opera quævis* prorsꝰ excludens, dum *nonnisi per fidem*, & *absq; operibus gratis divina gratia hominem justificari* testatur.

V. Quod *merita humana* hoc pacto intrudantur in *articulum justificationis*, præter & contra Scripturam s.dum adstruitur *satisfactio operis*, & *Contritio* statuitur *meritoria remissionis peccatorum*. *Omnia* enim hominum *merita* excludi à Justificatione, *solꝰq; Christi merito* nos *remissionem peccatorum* consequi universa clamat Scr. *Act.4.12. Et 10.43. Rom.3.25. Et 4.4. Et 11. &c.* Contritio *ex lege* est, *per quam non est justificatio Rom.3. 21.* & ut *agnitio morbi* non est *medium sanitatem impetrans*, sed tantum ὑφηγητόριον ad *remedium quærendum*; ita nec *Contritio* medium est *remissionis peccatorum & sanitatis spiritualis*. Quod fuga est Dei, non est causa conjunctionis cum Deo. *Contritio* autem *Papistica*, *sine adjuncta fiducia*, *est fuga Dei*.

VI. Quod tria illa concurrere possint etiam in iis, qui veram non agunt pœnitentiam. In *Judæ pœnitentia* dabatur *contritio*, *sceleris confessio*, & *sponte susceptæ pœnalis satisfactio*, cujus tamen pœnitentia non erat vera aut salutaris.

VII. Quod *contritionem* falsò definiant *actionem liberam ad Evangelium maximè pertinentem Bell.* l. 2. de Pœnit. c. 1. Prop. 2. quandoquidẽ *contritio* potiùs sit *passio*, *ex parte hominis*, *quam*

actio,

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0156
Mecklenburg Vorpommern

actio. Datur quidem actio, sed *Dei*, nos *conterentis, fulminibus legalibus percutientis & convertentis*; adeoq; *Contritio* ex *parte nostri* est *actionis Dei & fulminum legalium receptio ac passio*, non autem actio. Proinde dicitur *percussio cordis* 2. Sam. 24. 10. *conturbatio animæ* Ps. 6, 3. *infixio sagittarum Domini* Ps. 38. 3. *tribulatio spiritus & confractio cordis* Ps. 51. 19. *compunctio* Act. 2, 33. quæ certè nihil aliud, quàm *passionem, dolorem, horrorem, tremorem & terrorem conscientiæ* important, Eoq; nomine indigitatur quoq; *contritio*, quia *Contritio*, ut *Thomas* definit *in Supplemento Quæstion. Quæst. 2. art. 2.* est *alicujus duri atq; integri comminutio, cùm res tunc dicatur conteri, quando insolidum minuitur & ad partes minimas reducitur.* Conversio lapidis non est certè actio libera, sed potius passio, uti describitur nostra *Confessio Jer. 23. 29.* Quid quod nos *mortui* dicamur *in peccati, delectemur peccatis, pœnitere nescitissimus*, unde Deus *auferre* opus habet *cor lapideum Ezech. 11. 19. Et 36. 27.* imò Contritio talis est *avulsio*, qua *voluntas ab objecto suo naturali amabili, appetibili atq; concupiscibili* nimirum *à peccato, ad quod naturæ depravatæ instinctu maximè impellitur, quodq; intimè appetit, divinitùs abstrahitur & avellitur.* Ejusmodi autem avulsio respectu ejq, qui avellitur, est *passio*, non verò *libera actio.* Adhæc Contritio ad *legem*, non autẽ, ut Pontificii contendunt ad *Evangelium* pertinet, quia I. Unde *peccati est agnitio*, inde & contritio. At illa est *è lege Rom. 3. 30.* Et 7. 7. II. In quo *lex & Evangelium* distinguntur, in eo non conveniunt. At illa distinguuntur hoc ipso, quod *lex occidat, Evangeliũ* autem *vivificet* 2. *Cor. 3. 6.* III. *Evangelium* definitur *concio pacis Rom. 10. 15. & annunciatio gaudii Luc. 2. 10.* Non ergò inde oritur *Contritio.* IV. Evangelium annunciatur *jam contritis*, ideoq; præsupponit *contritionem Esa. 61. 1. Luc. 4. 18. Matt. 11, 28. V.* μετάνοια distinguitur disertè *ab Evangelio Marc. 1. 14.* Quo circa Evangelium nõ infert μετάνοιαν *specialiter* dictam vel *contritionem.*

VIII. *Confessio oralis*, quam requirunt *Pontificii*, minimè reqviritur ad pœnitentiam, imò *impossibilis* est, uti *sequenti quæst.* probabitur.

IX. Sa-

IX. *Satisfactio operis* quam exigunt Papistæ, itidem S. literis è diametro contraria est ut deinceps ostendetur, ideoq; nec illa pœnitentiæ pars admitti potest.

X. Quid, quod adversarii ipsi de hisce partibus dissideant. *Durandus solam Confessionem* esse partē pœnitentiæ contendit l. 4. Sent. Dist. 16. q. 1. *Contritionem autem* esse *solum dispositionem, & satisfactionem esse fructum poenitentiæ. Erasmus* negat *pœnitentiæ partem esse satisfactionem* in c. 3. Matth. p. 16. Alii fatentur nobiscum *Contritionem & fidem esse partes Pœnitentiæ &c.*

Quod itaque porrò nostram attinet Orthodoxiam, de *duabus pœnitentiæ partibus Contritione & fide*; probari ea potest seq. argumentis.

I. Quia *Pœnitentia* est *conversio quædam*, adeoque *duos* includit *terminos, à quo & ad quem*; ac importat tum *recessum à termino à quo, à peccatis* tum *accessum ad terminum ad quem*, ut pote *ad Deum*. At à peccatis recedimus in conversione *per Contritionem*, Ad Deum autem non nisi *per fidem* convertimur *Act. 20. 20. 21. Et 26. 68.*

II. Cum *duo* sint *doctrinarum genera*, quibus excitatur & producitur *Pœnitentia Lex & Evangelium, & Legis* quidē sit *conterere peccatores, Evangelii* autem *gratiam offerre & conferre credentibus, eosdemq; erigere*: Proinde consequitur, & *Contritione* opus esse, & *Fide* ad *pœnitentiam*; quandoquidem non aliter excitetur *pœnitentia* per doctrinem *legis & Evangelii*, quam qvatenus excitatur *contritio*, vi *legis, & fides Evangelii vi & efficacia generatur* in homine Vid *Os. 9. 1. Et 9. 1. Matth. 11. 28. Luc. 24. 47.*

III. Porrò ut duo proponuntur nobis in Scr. S. Dei attributa, quorum intuitu excitamur ad *pœnitentiā*, nimirum *justitia & misericordia*; ita duas quoq; oportet esse *Pœnitentiæ partes*, cùm ex *illius* consideratione nascatur *contritio* ex *hujus* verò meditatione oriatur *fiducia* imò justitia *vindicatrix & ira Dei* percutit & conterit *corda nostra ob peccatū Rom. 1. 28. 32.*

miseri-

misericordia Dei autem *erigit contrita* ad *fiduciam Rom. 3. 24.*

IV. Ulterius; Duo requiruntur ad *Justificationem ex parte Dei;* nimirum *peccatorum remissio & justitiæ Christi imputatio*; proinde etiam ad conversionem ex *parte nostri* duo requirentur, *peccatorum* sc. *agnitio* &, contritio ob peccata, ut & *fides in Christum*, qua apprehendimus unicè ejus justitiam. Vid. *Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. &c.*

V. Ut in *curatione morbi* requiritur & *agnitio ejusdem*, & *medicamenti susceptio* ex parte *patientis*; ita & in spirituali nostra sanatione tùm *agnitio peccati*, ceu morbi spiritualis, tum *medicinæ salutaris* à Christo paratæ susceptio requiritur, quæ unicè fit *per fidem Matth. 9. v. 12. Luc. 10. 34.*

VI. Idem comprobant *exempla primorum parentum, Davidis, auditorum Baptistæ, mulieris peccatricis, filii prodigi, latronis in cruce*, in quorum pœnitentiâ dabantur hæc duo, *conversio & fides. Gen. 3. 2. Sam. 12. Marc. 1. Joh. 1. Luc. 7. c. 15. 23.*

VII. Contritionem requiri è *Psal. 51. v. 19. Esa. 38. v. 10. Jer. 31. 19. Joel. 2. v. 13.* certum est, nec diffitenter adversarii, utut eã perperam definiant. Quod autem *fides* etiam requiratur, inde constat, quia *fides pœnitentiam salutarem ab exitiosa, veram ab hypocritica distinguit*, eâque solâ *remissionem peccatorum, justitiam & vitam obtinemus Rom. 3. 23. Gal. 2. 16.* Quo circa comprehenditur etiam fides in descriptione veræ pœnitentiæ *Matth. 21. v. 32. Marc. 1. v. 15. Act. 19. v. 4. Conf. Act. 2. v. 38. Et 16. v. 31. ut & Act. 26. 20.* cum *cap. 20. v. 21.*

VIII. Addimus denique testimonium *Johan. Feri*, qui l. 4. Comm. in Matth. c. 27. *vera pœnitentia*, inquit, *est facere judicium & credere. Judicium facere est, se peccatorẽ agnoscere, peccata sua damnare. Credere est, confiteri Deũ per Christũ, peccata nõ imputaturum. Bell.* l. 1. de Pœnit. c. 20. agnoscit, *Judam non habuisse veram contritionẽ, quod ea sine spe remissionis esse non possit. Georgio Cassander* negat, *Doctores Ecclesiæ præsentis mentionẽ fidei in pœnitentia prætermittere*, eamq; *requiri, ut salutaris & efficax sit pœnitentia, exemplo Caini & Judæ* probat; provocat ad *Hostiensem*

sti ensem in summâ de pœnitētia & remissione, *ubi inter causas pœnitentiæ ponit spem, quam à fiduciâ alienam non esse*, ait, *eamq; triplicem veniæ, gratiæ & gloriæ, adfertq; ad eam rem præclara ex Ecclesiasticis scriptoribus*, (Augustino, Bernhardo &c.) *testimonia*. Observat denique *Scholasticos in justificatione duos requirere motus, alterum in peccatum, per contritionem*, seu detestationem, *alterum in Deum, per fidem*. In Consult. art. 12. *Hieron. de la Nuza* in tract. Evang. 1. part. 1. num. 14. *Pœnitentia, inquit, est dolor de peccatis propter Deum summe dilectum, cum spe veniæ. Hanc spem ex Dei bonitate & misericordiâ debet peccator concipere &c.*

CONTROVERSIA XI.

Utrum necessaria sit Confessio coram Sacerdote omnium & singulorum peccatorum?

Concil. Trid. decernit Sess. 14. c. 5. *oportere pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiâ habent in Confessione recenseri, etiam si occultissima sint, & tantū adversū duo ultima Decalogi præcepta commissa*, quam *enumerationem jure divino necessariam esse, juxta Concilium Trid.* ita ut *anathema dicatur etiam iis, qui contra ausi fuerint disputare*, affirmat Bell. l. 3. de Pœnit. c. 2. Nostrarū Ecclesiarum sententia proponitur in *Aug. Confess.* art. 12. quòd *privata absolutio retinenda sit in Ecclesiis, in Confessione autem non sit necessaria omnium delictorum enumeratio*; Quam probamus:

I. *A defectu mandati divini*. Quicquid enim jure divino necessarium est, ejus oportet extare mandatum in Scr. At enumerationis hujus *specialis* nullum extat in Scr. *mandatum*. *In genere* quidem jubemur peccata confiteri *Matt.* 3. 6. *Marc.* 1. 15. non autem *singula in specie* enumerare, quod fatentur & docent ipsimet *Canonistæ adversus Scholasticos*, nimirum *specialem peccatorum enumerationem non niti mandato divino*; vid. *Panormitanus*, ac *Felinus in c. Omnis utriusque sexus*. *Maldonatus* in summa quæst. 18. art.

art. 4. *Sunt inter catholicos*, ait, *qui nullum putant esse præceptum de confessione, ut omnes Decretorum interpp. & inter Scholasticos Scotus.*

II. *A defectu promissionis divinæ.* Quæ Confessio nulla gaudet divina promissione, ea etiã, ut necessaria, urgenda nõ est in Ecclesiis. At privata illa Confessio, quæ fit per singulorum peccatorũ enumerationẽ, nullâ gaudet divinâ promissione E.

III. *A defectu exempli probati.* Confessio enim, quæ juris divini est, sine dubio sanctè à fidelib9 & sanctis conservata fuit. At *nullum exemplum* proferri potest è Scripturis ejusmodi Confessionis, quæ facta sit per *specificam omnium peccatorum enumerationem.* E. Contra autem exempla dantur contraria eorum, quibus remissa sunt peccata sine illa speciali enumeratione, utpote *Matt. 9. 2. Luc. 7. 47. Et 15. 18. Et 19. 8. &c.*

IV. *Ab ipsâ impossibilitate rei;* Quia ad impossibilia nemo obligatur. At impossibile est *omnia & singula peccata mortalia* enumerare, & quidem *additis omnibus circumstantiis peccatum aggravantibus Joh. 9. 18. Psal. 19. 13. Prov. 24. 16.*

V. *A Legis & Evangelii distinctione.* Quæ sententia Evangeliũ transformat in Legem, & promissiones Evangelicas ab humanis suspẽdit operib9, ea prorsũ reprobãda est; quando quidẽ Lex & Evangeliũ accuratè distinguantur *Rom. 3. & 2 Cor. 3.* Nec humanis operibus, sed unicè divinâ gratiâ nitantur *promissiones Evangelicæ Rom. 4. 16.* At sententia Papistica transformat *Evangelium in Legẽ*, & suspendit *promissiones Evangelicas ab humanis operibus;* quum enumeratio illa etiã *meritoria* statuatur, & ad *remissionẽ peccatorum* requiratur, *ut interveniente illa Confessione particulari Sacerdotes de singulis peccatis cognoscant, & pro mensura delictorũ satisfactiones imponant.*

VI. *Ab incommodis.* Doctrina enim illa Papistica infert *quandam conscientiarum carnificinam*, conjicitq; *pœnitentes & confitentes*, ut & ipsos *Sacerdotes in difficultates inexplicabiles*, exponit insuper *miseros peccatores fluctib9 dubitationum perpetuis*, ut fluctuare opus habeant, utrum nempe *omnia & singula, peccata peccata, omnes & singulas peccata aggravantes circum-*

cunstantias debito modo recensuerint, adeoq; *utrum omnium peccatorum veniam consecuturi sint*. Unde *Johannis Kaiserbergius*, fatente *Beato Rhenano*, *meritò eam habuit pro tormento animarum*; vid. Annot. ejus ad lib. Tertul de Pœnitentia; *Georg. Vicelius* non Confessionem, sed laqueum *conscientiarum eam esse*, professus est in Compend. de Semitis antiquis. Conf. & *Georg. cassander* in Consult. art. 11.

VII. *A falsitate hypotheseos*; Quæ requiritur ad sententiam Pontificiorum propugnandã quippe quæ nititur *distinctione peccatorum mortaliũ & venialium*; quod quædam peccata *natura sua* sint *venialia*, adeoq; eorum enumeratione opus non sit. Quum verò *suprà* ostensum fuerit, *omnia peccata sua natura esse mortalia*, utiq; ex paritate rationis omnium *peccatorũ enumeratio necessaria* erit; Et quæ causa urget, recensere peccata, quæ à Papistis vocantur *mortalia*, eadem q; omninò causa urgebit, ut cętera quoq; peccata recenseantur, aut nulla erit eorũ absolutio; *quorũ* enim *non fit confessio*, *eorum* ex mente Pontificiorum *non sequitur absolutio*. At omnia peccata, etiam *venialia*, recensere, ipsimet Pontificii impossibile judicant.

VIII. *A Scandalis & offendiculis*, quæ castis auribus facillimè objiciuntur, variis istis quæstionibus, quibus exponuntur confitentes, secundum regulas Confessionis singulorum peccatorum; de quibus vid. *Toletus* l. 3. in Summa Casuum Conscientiæ c. 7. fol. 156. Cavendum autem omninò in Ecclesiâ, ne castis auribus objiciantur scandala. Ut taceam, quod *Marsilius Patavinus* in defens. Pac. *Sacerdotes sub Confessionis titulo mulierum persæpe habere secreta colloquia*, quodque *Erasmus* fateatur, *lernam malorum ex Confessionibus istis oriri* l. de Modo confitendi.

IX. *A sentẽtia & consuetudine Ecclesiæ priscæ*. In primitiva enim Ecclesia usu recepta non fuit privata ejusmodi specialis enumeratio omniũ peccatorum, cujus rei nullũ documentũ proferre possũt adversarii, imò fatetur *Gratianq c. in Pœnitentia dist. 5. de Pœnit. plures, religiosos etiam, confessionem secretam*

non

non necessariam esse censuisse, Ambrosium, Augustin. Chrysostomum, Theophylactum & alios Patres Græcos. Fatentur è Pontificiis nonnulli, *publicam viguisse* potiùs *apud Veteres Confessionem, nec specialem requisitã peccatorum enumerationem.* Vid. *Vicelius* l. c. ut & *Cassander*, & confer. *Leo Papa* Epist. 80. tom. 1. Concilior. fol. 982.

X. *A suffragiis Adversariorum.* Confessionem ejusmodi *minimè necessariam* esse fatetur Gerson apud *Greg. de Valentia* l. 2. de Missa c. 4. *Cajetanus* Cardinalis apud *Sixtum Senensem* l. 6. Bibliothec. annotat. 261. *Erasmus*, & B. Rhenanus apud Bell. l. 3. de Pœnit. c. 1. imò & in *Concilio Tridentino multi Catholici*, notante Petro Svavi l. 4. Hist. Concil. Trid. p. 377.

CONTROVERSIA XII.

Utrum post remissam culpam remaneat quandoque pœnæ temporalis reatus?

Affi. tenent Pontificii, eamq; è *Concil. Trid.* colligunt *Catholici*, inquit Bell. l. 4. de Pœnit. c. 2. § 4. *summo consensu docent, post remissam culpam sæpe remanere reatum pœnæ temporalis, ut ex Concil. Trid. constat* Sess. 4. c. 14. Et Sess. 14. c. 12. Quod autem Deus fidelibus ita remittat peccata, ut nunquam remaneat *pœnæ proprie dictæ reatus, pro quâ justitiæ Dei adhuc sit satisfaciendum*, præterquàm quod Papistæ ajentem sententiam demonstrare nequeant, hisce probamus:

I. *A diserta Apostoli testificatione*; Rõ. 8. 1. Si nulla est condẽnatio in his, qui sunt in Christo, utiq; nullus reatus pœnæ illos manebit. At verum prius. οὐδὲν κατάκριμα: quâ voce notatur *actus & sententia condemnationis, non qualitas subjecti*; nihil condemnationis, inquit Apost. non autem *nihil condemnatione dignum.* Vid. *Ioh. 12. 32. Rom. 5. 15. 2. Cor. 7. 9.* E. & posterius.

II. *E. perfectæ culpæ remissione.* Quibuscunq; culpa omnis peccati remittitur, in illis nullus remanet pœnæ reatus. At omnibus credentibus remittitur &c. *Rom. 3. & 4. Gal. 2.* E. *Major*

probatur *è relatione pœnæ & culpæ.* Ubi enim nulla culpa, ibi nec pœna locum habet, quæ est *vindicta noxæ, vel culpæ.* Ubi *peccatum sublatum est, etiam pœna simul ablata est, ait Oecumenius* in Rom. 5. quod agnoscunt è Pontificiis *Toletus* l. 6. Inst. c. 22. p. 526. *peccatum non integrè remittitur, nisi cùm & pœna aufertur.* Et *Bell.* l. 1. de Purgat. c. 4. *perfecta remissio complectitur remissionem culpæ & pœnæ.* Et l. 5. de Amiss. Grat. c. 20. *peccatum tum demum censetur perfectè remissum, cum non solùm culpa, verum etiam omnis pœna fuerit remissa.*

III. *E perfecta Christi satisfactione.* Quod si enim Christus perfectè satisfecit non tantum *pro culpa*, sed etiã *pro omni peccati pœnâ*, utiq; iis, qui credunt in Christum, non incumbit pœna aliqua luenda; *obligationis* quippe *jus tollitur, soluto eo, quod debetur*, ut JCti docent, nec permittit *Justitia Dei*, ut idẽ peccatum bis puniatur, *in Christo* sc. & *fidelibus*, adeoq; fideles luere pœnam non possunt, quam Christus ipsorum loco exantlavit. Christ9 *perfectè satisfecit*, non tantum *pro culpa*, sed etiam *pro omni peccati pœna. Tulit* enim *peccata nostra*, hoc est, *luit pœnam pro iis. Es. 53. 6. Ioh. 1. 29. 1. Petr. 2. 24. ipse castigatus est, ut esset nobis pax Esa. 53. 5. liberavit nos ab omni maledicto legis. Gal.* 3. 13. Unde Schoppius de indulgent. c. 14. fol. 15. *Vigverius* in Inst. Theol. c. 16. & *Greg. de Valentia* tom. 4. disp. 7. q. 20. ut & *Bell.* l. 2. de Indulg. c. 1. resp. ad 1. objection: & c. 10. §. Ac primum, *Christum plenissimè satisfeciisse non tantum pro reatu culpæ, sed & pœnæ, ejusq; tum temporalis, tum æternæ omnium peccatorũ. c. Filius Dei dist. 4. de Conser.* laudatur *Augustini* sententia, *Filius Dei carnem suscepit & pœnam sine culpa, ut in carne peccati & culpa solveretur & pœna.*

IV. *A plena absolutione & justificatione.* Quicunq; plenè absolvuntur à peccatis, illis & *culpa & pœna* omnis condonatur; quia si pœnæ quædã reservarentur, nondum foret *plena absolutio.* Qui justificãtur illi *justi constituuntur ipsiq9 Christi obedientia Rom.* 5. 19. quæ longè perfectissima est; ubi autem *perfectis-*

fectissima est *obedientia*, ibi locum non habet *pœna*, sive *temporalis*, sive *æterna*.

V. *E descriptione nostræ reconciliationis*. Qui ita Deo reconciliantur, ut Deus *peccata* ipsorum *tegat, non imputet, deleat instar nubis, eorum non velit amplius recordari, ea post tergum rejiciat, & in profundum maris dejiciat*, illis non infliguntur *pœnæ ob peccatorum*. At qui justificantur, ita Deo reconciliantur, ut *Deus peccata eorum tegat, non imputet Ps. 32. 1. Rom. 4. 6. deleat instar nubis Esa. 44. 22. non recordetur eorum Jer. 31. 31. projiciat ea post tergum Esa. 38. 17. in fundum maris Mich. 7. 16.*

VI. *E gratiæ divinæ conditione*. Si enim *gratia, quâ justificamur*, omnem excludit humanam satisfactionem, utique ab iis, qui justificantur, nulla exigitur pœnalis satisfactio. At verum est prius. E.

VII. *E condonationis nostræ comparatione*. Si nos ita condonare debemus proximo, ut nullam reservemus pœnæ vindictam utiq; multò magis Deus nobis ita remittit peccata, ut nullus relinquatur reatus pœnæ. Multis enim modis perfectior est *divina* quam humana *condonatio*, jubemurq; *nobis invicem condonare, quemadmodum & Deus condonat nobis Eph. 5. 32. Coloss. 3. 17. Luc. 6. 16.* At verum prius. E.

VIII. *E Parabolica illustratione*. Quomodo Deus peccata remittat, docetur illustri parabola. *Matth. 18. 32.* Ubi misertus Dominus servi dicitur ipsum dimisisse, pœnam carceris relaxasse, & culpam quoque ipsi remisisse; adeoque innuitur, quod *justificatio constet non modo remissione culpæ, sed & dimissione plenaria, & immunitatis ab omni pœna concessione*. Qui ergò remissa culpa prorsus liber dimittitur, ille non subjicitur pœnæ ob culpam. At, qui justificatur, is remissa culpa prorsus liber dimittitur.

IX. *A crucis & pœnæ distinctione*. Quod si enim *crucis afflictio*, quæ justificatis immittitur, maximè à *pœna* distinguitur, qua infideles premũtur, utiq; frustra asseritur justificatos *reatui pœnæ temporalis obnoxios esse*. At verũ est prius; Distinguuntur quippe *crucis afflictio & supplicium*, vel *pœna* nõ solùm ratio-

ratione *subjecti*, quod *illa* fideles, *hæc* infideles & impii afficiantur, sed ratione *causarum*, quod illa immittatur *à Deo placato & gratioso ex affectu paterno Prov. 3. 11. Heb. 12. 5. hæc* à Deo *irato* proficiscatur: quod *illa in fidei probationem; hæc in peccatorum vindictam* infligatur. *August.* l. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 34. Calamitates, *inquit, ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem sunt certamina, exercitationesque justorum.*

X. *A Pontificiorum quorundam confessione. Thomas* in Rom. 8. 1. fatetur, *quod per gratiam Christi liberemur à condonatione culpæ, quodq; per eandem gratiam liberemur à damnatine pœnæ*, id quod agnoscunt etiam *Dominicus à Soto, & Salmero in hunc locum.* Quid? quod etiam ipsimet Patres *Conc. Trid.* dubii & incerti fuerint, *an semper & omnibus fidelibus, & justificatis, num verò nonnullis tantùm pœna adhuc reservetur*, unde *indefinitè* sanciverunt, *remanere reatum pœnæ temporalis, post remissam culpam*, de qua quæstione adhuc inter se dissentiunt Pontificii. *Bell.* quippe, & *Toletus sæpe* tantum & *in plerisque* remanere reatum pœnæ temporalis asserit, *Greg. de Valentia* tom. 2. disp. 6. q. 17. *in omnibus eundem remanere* contendit. Vid. *Meisner. Opusc. prim. de indulgent. pag. 44. seq.*

CONTROVERSIA XIII.

Utrum pœnitentes DEO satisfaciant, pœnasque per bona opera redimant?

Bell. l. 4. de Pœnit. c. 1. statuit, *hominem debitum pœnæ, quæ post remissionem culpæ manet, per bona opera redimere posse. Conc. Trid.* Sess. 14. c. 8. *divinam*, inquit, *clementiam decet, ne ita nobis absq; ullea satisfactione peccata dimittantur*, additq; *nos satisfaciendo pro peccatis pati. Catech. Trid.* p. 308. docet *antiquissimæ Ecclesiæ usu receptum esse, ut, cum pœnitentes à peccatis solpuntur, pœna aliqua iis irrogecur, cujus pœnæ solutio satisfactio vocari consuevit.* In eo autem variant sententiæ; Utrũ *pro culpa* etiã satisfaciant homines, quod affirmat *Tapperus, & Vega*

Concil.

Concil. Trid. assessor l. 13. in Conc. Trid. c. 36. num verò solùm pro *pœna temporali*, quod plerique alii statuunt. Cœterum tria asignant operum satisfactoriorum genera: *Orationem, Jejunium & Eleemosynam.* Ad *Orationem* revocant ea, *quæ Deo propriè exhibentur, ut laudes, gratiarum actiones, contritionis & confessionis actus.* Ad *jejunium, quæ corpus affligunt, & concupiscentiæ carnis repugnãt*, ut sunt *Cilicia, cineres, flagellationes.* Ad *Eleemosynam, quæ repugnant avaritiæ, aut certe in proximi utilitatem cedunt, aut opera omnia misericordiæ*; *Bell.* l. 4. de Pœnit. c. 6.

Quanquam verò non diffiteamur, *satisfactiones Canonicas in primitiva Ecclesia usu receptas fuisse*, quæ apostatis vel peccatoribus in graviora prolapsis crimina, cum pœnitentiam agebant, imponi consueverant, tum ob *pœnitentiæ seriæ exercitium & probationem*, tum ob *aliorum exemplum & terrorem*, tum ob *Ecclesiæ scandalo affectæ authoritatem & reconciliationem*, cui hoc pacto externæ pœnitentiæ declaratione satisfaciendum erat, non tamen admittimus, quenquam pœnitentium *DEO satisfacere, pœnasq; per bona opera satisfactoria redimere posse aut debere*, nedum *Sacerdotibus* vel *Episcopis* jus aliquod competere, ut pœnitentib9 opera ej9modi imponant, quibus Deo verè pro peccatis satisfiat, vereq; peccatorum pœnæ redimantur.

I. Quia de *satisfactione ej9modi* Deo præstanda nihil prorsus in Scripturis extat nullum ejus *mandatum*, nullum *exemplum*; Christus & Apostoli nullas leguntur pœnitentib9 imposuisse satisfactiones, nec uspiã jussere, easdẽ imponere, sed gratuitã remissionem peccatorum prædicarunt. *Luc.* 24. 47.

II. Quia *refragatur* ea satisfactio *perfectissimæ satisfactioni & redemtioni Christi.* Si enim unus tantum redemtor est, qui solus & pro peccatis & pro pœnis nostris Deo satisfaciat; utique præter ipsum nullus alius Deo satisfacere, pœnasque redimere poterit. At unus tantum est redemtor Christus 1. *Tim.* 2. 5. *Act.* 4. 12. qui satisfecit pro peccatis nostris, nosque à pœnis omnibus redemit *Esa.* 53. 6. *Joh.* 1. 29. *Gal.* 3. 13. 1. *Thes.* 1. 10. 1. *Pet.* 1. 18. 2. *Pet.* 2. 24. *E.*

III. Quia ad satisfactionē Deo præstandam requiritur *virtus infinita*, ideoq; à nullo hominum ea præstari potest. *Nulla omnino creaturæ opera*, inquit Costerus in Enchirid. p. 260. *nulla pœnitentia, nulla martyria, nullæ pœnæ, nulla virtus potest mereri cuiquam peccatorum remissionem. Peccatum enim, quod ex infinitâ Majestate Dei offensi infitam malitiam contraxit, nonnisi per infinitum meritum potest deleri. Quod infinitum meritum in solis Christi operibus, & perpessionibus ob infinitam divinæ personæ dignitatem invenitur, non autem in ulla actione aut merito creaturæ.* Non minùs autem requiritur infinita virtus ad satisfaciendum Deo pro peccatorum *pœna*, quàm pro *culpâ*, cùm & *illa* & *hæc* satisfactio ab infinitâ exigatur justitiâ.

IV. Quia Deus non requirit quicquam à pœnitentibus, præterquam veram *Contritionem & fidem*, id quod suprà ostendimus. Addimus nunc tantum testimonium | *Cassandri* Consult. art. 6. *Ego*, inquit ille, *testificor ac fide jubeo fore, ut si nostrum quisq., qui peccatis obnoxius, recedens à pristinis malis ex animo verè promittat Deo, se posteà nunquam ad ea rediturum, nil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem.*

V. Quicunq; remissionem & *culpæ* & *pœnæ* à Deo consequuntur ex *mera gratia*, illi non sacrificiunt Deo pro pœna peccatorum. At pœnitentes & credentes, non solùm culpæ, sed & pœnæ remissionem consequuntur, ex mera gratia, ut *præcedente quæstione* ostensum. E.

VI. Quicunq; pro peccatorum remissione orare tenentur, illi nō possunt ipsi satisfacere Deo pro peccatis. At Sancti pro *peccatorum remissione orare* tenentur. *Psal. 32. 8. Matth. 6. 12.* E.

VII. Si Sacerdotes pœnitentibus imponere possunt satisfactionem, aut id faciunt *vi clavis ligantis*, aut *vi solventis*. At neutrum admittendum est. *Non vi clavis solventis*, quia ejus est absolvere à peccatis, non verò obligare ad neutrum. Neque *vi ligantis*, quandoquidem illa adhibenda sit *adversus impœnitentes*, non autem pœnitentes.

IIX. Quâ doctrinâ non tantū *satisfactioni Christi derogatur*, sed

sed & *fiducia* in eandem labefactatur, & *certitudo reconciliationis* evertitur, illa merito est reprobanda. At talis est illa de satisfactione Papistica doctrina. E.

IX. Quod in specie *orationem* attinet, *gratiarum actiones*, ut & *Contritionis & Confessionis acto*, requiruntur quidem illi à pœnitentib9, non autem ut *opera Satisfactoria*, sed solùm, *ut pietatis exercitia. Oratione & precibus* supplicamus *divinæ gratiæ* humiliter, non verò *justitiæ divinæ* satisfacimus. *Oratione* expetere cumprimis jubemur gratuitam peccatorum remissionem. Qui ergò oratione & precib9 Deo *satisfacere pro peccatis* possem9? *Gratiarum actionem* nunquã sufficientem persolvere possum9 Deo pro *beneficiis acceptis Ps.* 116. 10 *Rom.* 11. 35. 36. multò ergò minùs gratiarum actione poterim9 *beneficia nova* promereri. *Contritio cordis* quædam est *passio*, non autem *satisfactoria actio. confessione* deniq; peccata agnoscim9, & deprecamur, non autem pro peccatis satisfacimus.

X. Quod ad *jejunium*, etsi non negemus, utile id esse, si *verum* sit, (qvod non *in delectu ciborum*, sed *abstinentiâ à cibis* consistit,) ad *carnem subigendam & pietatem exercendam*, non tamen *ad satisfaciendum Deo* qvicqvam conferre potest, aut ad *peccata expianda*, qvin nec *cultum Dei per se* constituit. Rectè *Wicelio* de Semit. antiqv. de Jejuniis pronunciat: *Non est sentiendum, hac exercitia cultus esse, qvæ mereantur remissionẽ peccatorum, aut satisfactiones. Jacobus Faber* Stapulens. in Comment. ad Coloss. 3. ita de his scribit. *Age, inqvies, macerationes carnis, ac jejunia, vigilia, nuditas, paupertas, ærumnæ nihili faciendæ? Neqvaqvam dixerim, sed qvando oportet, sunt carni multipliciter adhibenda, qvandoq; ut calcar rebelli equo, ne petulescat, verùm tunc ut equus ob verbera calcarium non pascitur, neq; ob verbera præmia sentiet, sed ex gratia Christi. Bell.* fatetur ipse l. 2. de bonis operibus c. 11. *jejunium rem esse mediam*. Qvid, qvod *Baronius* ad annum Christi 44. num. 88. agnoscat, *jejunia à Gentilibus adhiberi solita ad divinum Numen placandum*, adeoqve *è Gentilismo satisfactoria illa jejunia originem trahere. Flagellationes* verò *in Christi meritum*

qui solus propter peccata nostra flagellatus est, ut pro iis satisfaceret *Esa 50. 6. Et c. 53. 5. prorsus injuriæ* sunt & *abominabiles Deo Lev. 29. 38. Dev. 14. 1. Et 18. 9. Et 25. 3. à Baalitarum superstitione* originem *1. Reg. 18. 28.* pugnantq; cum *regula Apostolica Rom. 13, 14. Col. 2, 30.* Quas insuper *primis 12. seculis ignotas fuisse*, & primitùs anno Christi 1273. à *flagellatoribus introductas* esse fatetur *Prateolus* in Elench. Hæretic. p. 183. ut & *Alphonsus à Castro* l. 2. adversus hæreses Verbo Aqua, Hæresi 2. easq; ab *Ethnicis originem suam habere testatur Polydorus Virg.* l. 7. de rerum inventor. c. 6. Contra quorum sectam *Johannes Gerson* etiam *peculiarem tractatum* conscripsit anno 1417.

XI. Quod denique ad *Eleemosynas* & *opera misericordiæ*, placent qvidem illa Deo, sed non placant Deum. *Hebr. 13. 10.* talibus hostiis delectatur Deus, vel *placetur DEO:* Ita enim rectiùs verti, qvàm prout *vulgata* habet, *talibus hostiis promeretur Deus*, agnoscit *Erasmus, Lud. Vives, Bened. Arias Montan9 Estius, Bellarm.* ipse l. 2. de Verbo Dei c. 4. Rectè *Friedericus Nausea Episcopus Viennienses* Centur. 2. Homiliar. p. 372. *à misericordia Dei nobis est qvicqvid sumus & habemus, & qvicqvid agimus, est perinde atq; signum gratitudinis*; Qvomodo ergo illa satisfactionis, vel meriti cujusdam loco esse poterunt?

XII. Accedunt tandem hisce *Pontificiorum ipsorummet suffragia.* Fatentur enim nonnulli, *satisfactiones humanas nullas esse.* Wesselius dixit *satisfactionem esse merè errorem, habere blasphemiam, ac desperationem nutrire. Nicol. Lyranus* in c. 18. Matth. *peccator*, inqvit, *non habet, unde satisfaciat Deo pro peccato. Costerum, Jesuitam* profitentem, *nulla creaturæ opera posse mereri*, supra produximus. Agnoscunt insuper. *priscam Ecclesiam nullam credidisse satisfactionem humanam, qvasi Deo satisfieri, aut peccata apud Deum expiari possent, sed solùm disciplinæ publicq; scandali tollendi causa canonicas satisfactiones ursisse. Glossa Juris Can.* de Pœnit. p. 355. *imponitur*, inqvit, *pœnitentia pro peccato, ut humilitas exerceatur, & ne disciplina Ecclesiæ deseratur, & ut satisfiat Ecclesiæ, qvæ scandalizata est. Georg. Vicelio* l. c. fatetur, *Cyprianũ, cumq; eo totam Ecclesiam*

Veterem

Veterem ita sentire, Deo satisfacere neminem posse, & esse perfectam & consummatam nostram satisfactionem Christum: Ecclesiæ autem sive per publicam vel privatam pœnitentiam satisfacere aliquo modo nos posse, peccata verò expiari per hujusmodi per nullam Scripturam nos doceri. Conf. & *cassand. l. c.*

CONTROVERSIA XIV.

Utrum quædam defunctorum animæ post discessum ex hâc vitâ in purgatorio existant?

AFf. credendam proposuit *Concil. Trid.* Sess. 6. Can. 30. ut & Sess. 9. *Bell. eum, qui purgatorium negat, ait, in gehenna sempiterno incendio cruciandum esse* l. 1. de Purg. c. 15. Describit autem purgatorium c. 1. §. 3. quod sit *locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac vita non fuerunt plenè purgatæ, ut nimirum sic in Cœlum ingredi valeant, quo nihil intrabit coinquinatum.* Nos autem commento huic Papistico opponimus.

I. *Silentium Scripturæ.* Omne fidei dogma propositum habetur in Scripturis. At sententia illa de Purgatorio nuspiam in Scripturis proposita est, ut fatentur è Pontificiis *Fischerus Episcopus Roffensis* art. 18. & 37. contra Lutherum *Petrus à Soto* in assertione Catholicâ contra Brentium fol. 53. *Suarez* in part. 3. Thomæ disp. 45. sect. 1. *Raihingius* in Enchiridio Catholico contra D. Höe p. 970. E. sententia illa non est dogma, vel articulus fidei.

II. *Geminum post hanc vitam statum* Sacræ enim literæ nonnisi *duos status* post hanc vitam agnoscunt, alterum *beatorum in Cœlis*; alterum *damnatorũ in Inferno*, adeoq; *tertium* vel *intermedium* statum quemcunq; prorsus excludunt 1. *Sam. 25. 29. Matt. 3. 11. Et 7. 13. Et 25. 46. Marc. 16. 16. Luc 16. 32. Joh. 3. 36.*

III. *Duplex genus hominum.* Distinguuntur quippe omnes homines in duas classes, *fidelium* sc. & *infidelium*, quod vel *credant* vel *non credant*, nec datur medium aliquod genus, cum inter *contradictoriè opposita*, qualia sunt *credere & non credere*, nullum dari possit medium. Qui verò *credunt*, illi *non venire*

in judiciũ, sed de morte in vitam transire, & æterna vita frui post hanc vitam docentur. Qui *non credunt*, illi *æternæ morti* adjudicantur *Marc.* 16. 16. *Joh.* 3. 16. *& seq. Et* 5. 39. *Rom.* 2. 6. Eodem pacto distinguuntur homines in *bonos & malos, oves & hædos*, non admisso *tertio quopiam hominum genere*, qui sc. sint *intermedii*. Vid. *Matth.* 7. 13. *Et* 8. 11. *Et* 13. 24. *Et* 25. 32. *Act.* 26. 18. *Rom.* 6. 20. *Et* 8. 5. *Gal.* 6. 8.

IV. *Proprium Christi officium.* Quod enim Christi sanguini *proprium* est, id adscribi non potest, nec debet *igni purgatorio*. At *à peccatis mundare & purgare sanguini Christi proprium est* 1. *Joh.* 1. 7. *Hebr.* 1. 3. *Et* 9. 14. *Apoc.* 1. 6. *Et* 7. 14. E. Rursus: Si *perfecta peccatorum expiatio, purgatio, mundatio, & purificatio* facta est per mortem Christi, utiq; non purgantur, expianturq; animæ per *ignem purgatorium*, cùm ille nihil commercii habeat cum morte Christi, nec *meriti* ejusdem *applicationi* locus sit in *purgatorio*. At verum est prius *Es.* 63. 5. *Rom.* 3. 23. *Et* 5. 10. 1. *Joh.* 2. 22. *Heb.* 1. 3. *Et* 10. 6. *&c. E.*

V. *Media purgationis*, in Sacris determinata. Si nulla alia dantur media *ex parte Dei*, quibus peccatorum expiatio per Christum parta nobis *applicatur*, nosq; à peccatis purgamur, quàm *verbum Dei & Sacramenta*, utiq; merè fictitius est ignis ille *purgatorius* Papisticus. At nulla alia dantur media ex parte Dei, quàm *verbum & Sacramenta Malach.* 3. 3. *Joh.* 15. 3. *Eph.* 5. 26. *Tit.* 3. 5. Ut *ex parte* nostri unicum tantùm medium ἀντιληπτικὸν est *fides Act.* 15. 9. 1. *Cor.* 6. 11. ita requiritur ex *parte Dei* ejusmodi mediũ, quo fides conferri, excitari, foveri & confirmari possit. Quis verò dicet igne purgatorio vel *excitari*, vel *foveri* fidẽ.

VI. *Articulum de Justificatione, & peccatorum remissione.* Quibus peccata omnia *perfectè remittuntur*, ita ut *nulla sit in iis condemnatio*, nullus *pœnæ reatus*, ij non debent, nec possunt igni purgatorio subjici. At omnibus, qui justificantur, *peccata perfectè remittuntur Rom.* 3. & 4. *Act.* 13. 34. ita ut *nulla condemnatio in iis sit Rom.* 8. 1. *E.*

VII. *Distinctionem status hujs & alterius vitæ*, Hi enim inter alia

alia ea distingvuntur ratione, quod in *hac* solùm *vita* in Ecclesiâ, ceu officinâ Spiritus Sancti, ordinariè *per verbum & Sacramenta* agentis hæc *peccatorum expiatio & purgatio*, non verò *post hanc vitam*. Tempus hujus vitæ est *tempus laborandi, currendi, certandi, piè operandi, credendi, peccatorum remissionem consequendi*, quibus post hanc vitam nullus amplius est locus *Eccles. 9. 4. 5. 10. Et 11. 3. Et 12. 5. Matth. 25. 10. Joh. 9. 4. 1. Cor. 7. 29. Et 9. 24. Eph. 5. 16. Gal. 6. 8. 10. 2. Tim. 4. 7. Heb. 12. 1. Apoc. 2. 5.* *Post mortem*, inquit *Alphonsus de Castro* l. 3. adversus Hæres. Verbo Baptismus Hæreti 3. *non est tempus, nec bene nec malè operandi. Vita hæc nobis à Deo conceditur, in qua laboremus, qua finita juxta id, quod quisq; gesserit, præmiabitur. Sic enim Sapiens ait, ad quamcunq; partem lignum ceciderit, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ibi manebit.*

IIX. *Doctrinam Evangelii*; cujus est *credentibus offerre gratuitam peccatorum remissionem, non* autem pœnæ infernalis æternæ in temporariam ignis purgatorii commutationem. Annunciatur in Evangelio potiùs *ejusmodi peccatorum condonatio*, quod Deus *non velit amplius eorum recordari Ps. 36. 7. Jer. 31. 31. Ezech. 18. 32. delere ea instar nubis Es. 44. 22. tegere non imputare, Ps. 32. 1. Rom. 4. 5. projicere post tergũ, Es. 38. 17. demergere in profundũ maris Mich. 2. 19. tam longè distat oriens ab occidente Ps. 103. 12.* Quomodo ergò peccata adhuc expianda erunt in Purgatorio, quæ ita deleta, projecta, & remota, atq; condonata sunt in vita?

IX. *Promissiones divinas*, de *immediata piorum ex hac vita in cælestem translatione*; Joh. 3. 18. 36. *Et* 5. 24. *&* 12. 26. 2. Cor. 5. 1. Apoc. 14. 13. Quod si enim immediatè transferuntur ex Ecclesia *militante* in *triumphantem* fideles, utiqve non detruduntur prius in purgatorium. Nec possent sanè illi ad lætam ἐυδιανασίαν animari *promissionibus beatæ vitæ*, si prius ustulandi essent purgatorii flammis.

X. *Exempla fidelium*, qvi post mortẽ sperarunt *immediatã translationem in cælum*, eandemq; consecuti sunt, utpote *Enochi Gen. 5. 14. Hebr. 11. 5. Eliæ 2. Reg. 21. 1. David. Ps. 116. v. 7. 9. Lazari*

zari Luc.16.22. Latronis conversi Luc.23.43. Stephani Act. 7. 19. Pauli Phil. 1. 23. Et 2. Tim. 4. 8. omnium deniq; *piorum Sap. 3. 1. Apoc. 7. 14. Et 14. 13.*

XI. *Exempla eorum, qui vivi offendentur in extremo judicio. Nullo* enim *illorum in ignem purgatoriũ detrudetur, sed impii in gehennam præcipitabuntur, fideles verò in Cælum transferentur immediatè*, fatente *Bell* l.1. de Purg. c.12. At non alia est ratio eorum fidelium, qui nunc degunt, & in *Domino moriuntur*, quantum ad *rationem & modum* consequendi salutem. Si *justitiæ divinæ* non repugnat illos *sine purgatorii ignis interventu* in Cœlum admittere, utiq; nec id repugnabit, eos, *qui nunc in Domino moriuntur*, statim in Cœlum transferre. Si tanta est *vis & efficacia meriti Christi* in illis qui extremum diem attingent, cur eadem non obtineret in cœteris fidelibus? annon semper efficaciæ est meritum Christi? Vid. *Act. 4. 12. Et. 10. 43. Heb. 13. 8.*

XII. *Testimonia illa*, quibus docetur, *suffragiis vivorum mortuos minimè juvari posse Psal. 49. 8. Eccles. 9. 4. Matth. 5. 36. Et. 25. 8. Marc. 3. 31.* quæque ostendunt, *pœnas post hanc vitam non temporales futuras, sed æternas*; Pœnas temporales ad *hanc* pertinere *vitam*, ejusque *terminis circumscribi Matth. 5. 36. Luc. 16. 25. 2. Cor. 4. 18. Apoc. 10. 7.*

Addimus his XIII. suffragia *Græcorum vel orientalis Ecclesiæ, quæ usq; in hodiernum diem non credit purgatorium*, fatente *Fischero* l.c. *Alphonso à Castro* l. 8. adversus Hæreses tit. de Indulgentiis. *Nilus Archiepiscopo Thessalonicensis* l. contra Purg. edito ostendit, *ignem hunc temporalem à V. Concil. condemnatũ fuisse, nullumq; Græcorum Patrum eundem credidisse: Ecclesias Græcas Russiacas, Abyssinas & Armeniæ prorsus rejicere. Synodo Græcorum* in Apolog. de Purgatorio Concilio Basil. exhibitâ ait: *Ignem Purgatorium esse, à Doctoribus nostris prorsus nihil accipimus, neque Ecclesiam Orientalem ita sentire, compertum habemus. Bell.* ipse non potuit *è tribus primis seculis* ullum producere è Patribus *Græcis*, qui Purgatorium adsereret.

Tandem XIV. accedunt quoq; testimonia nonnulla *Pontifi-*

Pontificiorum. Thomas in 2. Cor. 5. *Si corpus dissolvatur, habemo statim non in spe, sed in re gloriam cœlestem. Bened. justinianeo* in Phil. 1. ait, *quod non vere pro lucro sit habenda mors, nisi statim justorum animæ ad conspectum Dei evehantur.* Sed & *jus Can.* fatetur c. *Quibus peccata, Causa* 13. *q.* 2. *Quibus peccata dimissa non sunt, eos à sacris locis post mortem adjuvari non posse: Anastasius* Episcopus Rom. Epistolâ 2. scribit, *indecens est, de illis tædio afflictionis affici, quos credendum est ad veram moriendo vitam pervenire. Greg. Magnus* l. 8. Moralium c. 8. ait, *dùm tempus vitæ præsentis abscinditur, ad operationem promerendæ veniæ ulterius non redditur.* Adde quod agnoscant Pontificii, quod *animæ in Purgatorio non possint pœnitentiam agere, adeoq. nec remissionem peccatorum consequi, quodq.* ibi amplio *merito* non sit locus, proinde nec *satisfactioni* locus esse poterit.

CONTROVERSIA XV.

An potestas conferendi indulgentias Ecclesiæ concessa sit?

AFfirmat id *Concil. Trid.* Sess. 25. docetq; *usum indulgentiarum maximè salutarem & in Ecclesia retinendum esse.* Explicat autem hoc indulgentiarum mysterium *Leo X.* in Decretali Anno 1518. edita, *Romanam*, inquit, *Ecclesiam, quam reliquæ tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse significamus; Romanum Pontificem potestati clavium (quarum est aperire tollendo culpam, mediante Sacramento pœnitentiæ, pœnam verò temporalem pro actualibus peccatis, secundum justitiam divinam debitam, mediante Ecclesiastica indulgentia,) posse pro rationalibus causis concedere Christi fidelibus, qui charitate jungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in Purgatorio, Indulgentias, ex superabundantia meritorum Christi & sanctorum, ac tàm pro vivis, quam pro defunctis Apostolicâ authoritate indulgentias concedendo thesaurum meritorum Jesu Christi & sanctorum dispensare per modum absolutionis, indulgentias ipsam conferre, vel per modum suffragii illã transferre consuevisse.* Conf. *Bell.* l. 1. de indulg. c. 2. Nos potestatem

statem illam Indulgentias ejusmodi conferendi nullam esse, hisce probamus:

I. Quia nusquam *in Sacris literis* eadem concessa legitur: Fatetur id *Durandus* in 4. Sentent. distinct. 20. q. 3. *de indulgentiis*, inquit, *pauca dici possunt per certitudinem, quia nec Scriptura expresse de iis loqvitur; Quod enim dictum est Petro Matt. 16.19. Tibi dabo claves regni cœlorum & intelligitur de potestate ei data in foro pœnitentiæ, de collatione autem indulgentiarum non est, quomodo debeat intelligi.* Cajetanus agnoscit itidem Tract. de Indulg. *nullas Scripturas sacras easdem proponere*, quod fatetur quoq; *Alphonsus de Castro* l. 8. de Hæres. Verbo indulgentiæ. Et *Petrus à Soto* in Instruct. Sacerdot. lectione 1. *Bell.* l. 1. de Indulg. c. 10. *sufficere qvidem*, ait, ad *Indulgentias & bullas defendendas Ecclesiæ authoritatem*; sed hæc est mera petitio principii; de eo enim quæritur, utrum Ecclesia Romana, quæ indulgentias sancit, vera sit Ecclesia, nec ne?

II. Quia *Indulgentiæ falsissimo nituntur fundamento*, quod Bell. l. c. est, quod *in Ecclesiæ Thesauro aliquis satisfactionem extet superabundantium Christi & Sanctorum. Communis enim opinio Doctorum est*, ut habet *Angelus de Clavasio* in summa, in verbo, Indulgentia, *tam Theologorum, quam Canonicorum, quod Indulgentiæ sint ex abundantia meritorum, quæ ultra mensuram demeritorum suorum sancti sustinuerunt, & Christi. Sed opinio illa de abundantia meritorum & satisfactionum sanctorum*, Scripturæ Sacræ multis modis contrariatur, quæ nulla esse opera supererogationis, imò *imperfecta & immunda* esse *Sanctorum opera* testatur, adeoq; docet, Sanctos non posse *satisfacere pro peccatis suis*, aut *mereri aliquid operibus suis*, tantum abest, ut pro aliorũ peccatis satisfacere, aut quicquã promereri possint. *Christum unicum esse Mediatorem, eum solum pro nobis satisfeciisse, ejusq; satisfactionem longè esse perfectissimã: propter eum solum peccata eorumq; pœnas remitti, nec extra eundem salutem esse Esa 43.25. Et 63.3. Act. 4.12. 1. Tim. 2.2.* Unde ipsimet Pontificii falsam agnoscunt opinionem illã *de superabundantia meritorum*

torum Sanctorum, ut Durandus, Petrus Auratus, Angelus de Clavasio, Lovanienſis & Maldonatus tom. 2. de Sacram. p. 189. & 191. qui eandem *hæreticam* eſſe docet.

III. Quia nulla eſt *applicatio ſatisfactionum ſuperabundantium.* Fingunt Pontificii *eas dem aliis communicari poſſe*, qui adhuc *pro pœna temporali ſatisfacere debebant*, *ac prodeſſe iisdem ad pœnæ illius remiſſionem.* Atqui merum eſt commentum *remiſſa culpa & pœna adhuc pœnam temporalem luendam eſſe fidelibus ſive in hac vita, ſive in Purgatorio.* Falſiſſimum eſt, *pro iſta pœna pios poſſe ac debere ſatisfacere*, cùm *ſolus* Chriſtus pro nobis ſatisfecerit. Nulla etiam ratione nititur *applicatio vel communicatio illa ſatisfactionum*; *& quomodo* eadem fiet, num *per pœnitentiam, aut fidem?* Sed ea locum non habet in *Purgatorio*, docentq; Pontificii, *extra Pœnitentiam diſpenſari Indulgentias.* Per *ſuffragia* verò & *opera ſatisfactoria vivorum* mortuos indulgentiam & remiſſionem pœnarum conſequi putidũ eſt figmentum, Sacris Scripturis contrariũ, & inſatisfactionẽ Chriſti prorſ9 injurium. *Applicationem fieri* per *bullarum redemptionem* ſive in *jubelæo*, ſive *extra illud, & Pontificem habere poteſtatem diſpenſandi*, nonniſi temerè & ineptè comminiſcuntur Pontificii citra & contra Scripturam, quæ docet *gratis nobis obtingere bona ſpiritualia, nec debere aut poſſe emi, vendig. pecuniis Eſa 55. 1. Apoc. 3. 17. Matth. 10. 8. Act. 8. 20.*

IV. Accedit, quod *indulgentiæ ejusmodi in primitiva Eccleſia minimè creditæ vel receptæ fuerint.* Omne autẽ dogma Eccleſiæ Catholicæ in primitiva Eccleſiâ creditũ & receptum fuiſſe, certiſſimum eſt. Fatetur *Durand9 Ambroſium, Hilariũ, Aug. nihil de indulgentiis habere*, *Joh. Major* agnoſcit antè *Greg. 1. de Indulgentiis in iſta ſignificatione nihil legi*, quod nõ diffitetur quoque *Angel. de Clavaſio*, ut & *Polydor9 Virgilius* l. 8. de rerum inventorib9 c. 1. *Cajetan9* docet, *nullam priſcorum Doctorum Græcorum aut Latinorũ aut horitatẽ ſcriptam Indulgentias ad noſtram deducere notitiam ſed tantũ inde à 300. annis eas ſcriptis commendatas eſſe. Dominic9 à Soto* l. 4. Sentent. diſt. 20. non tantum *nullam earum memoriam apud ullum ſanctorum Patrum reperiri, ſed*

sed neq; Petrum Lombardum, diligentem sententiarum Patrum collectorem, ullibi de Indulgentiis meminisse observat. Fuere quidem Indulgentiæ quondam, vel relaxationes nonnullæ satisfactionum Ecclesiasticarum concessæ, sive ob *naturæ infirmitatem*, sive *necessitatis casum in articulo mortis*, non autem illæ fuere *relaxationes pœnarum divinarum, nec è thesauro satisfactionum superabundantiũ petitæ, nec pretio divenditæ* sunt. *Pœnarum Canonicarum imminutio & relaxatio*, inquit, *Cassand.* in Consult. art. 12. *Indulgentia dicebatur, quæ hodie ad privatas quoq; satisfactiones traducta est, & ab Episcopis ad solum Pontificem Romanum plenum Indulgentiarum jus delatum est.*

V. *Indulgentiarum concessio per tot millia annorum* plane *inepta* est, cum *nec homo per millesimam partem tot annorum victurus sit, & in fine mundi purgatorium cessare debeat, & ex consequenti dies pœnarum ejusdem, ut Johan. Gerson* concludit Hom. 2. Tract. de Indulg. Consid. 10. At in *bullis quibusdam* & in *libro Rom. Indulgentiarum*, dantur Indulgentiæ ad multa centena millia annorum. *In horis B. Mariæ ad usum Sarisburgensem* paulò minùs *quàm undecies mille millenorum annorum Indulgentia pro recitatione certarum precum* offertur.

VI. Non potest illa Indulgentiarum concessio cum Papisticâ hypothesi conciliari, quod sc. *homines dubitare debeant de remissione peccatorum*, cum per Indulgentias plenissima concedatur omnium peccatorum remissio.

VII. Non admittunt Papistæ *imputationem meriti & satisfactionis Christi*, sed eam *ridiculam & imaginariam* esse, blasphemè calumniantur. Qui ergò *imputationem meritorum & satisfactionum sanctorum* adstruunt? Qui *communicationem è thesauro satisfactionum* tueri potuerunt, si *alienorum meritorum imputatio* merè est *imaginaria?*

IIX. Si Papa tantum habet potestatem in *Purgatorium*, ut quantũ velit animarum numerũ per suas Indulgentias inde liberare, & confestim in Cœlis collocare possit, ut in *Bulla Jubilæi à Clemente VI.* edita jactitatur, annon *summè immise-*

ricors

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0178
Mecklenburg Vorpommern

ricors est, quod per tot tantumq; tempus innumeras torqueri permittat? & qui fit, quod *ipse sibi* non applicet indulgentias, ne cogatur *in Purgatorium* descendere, ut affirmatur in *lib. Ceremoniarum* c. 15. de ægrotis Pontificibus.

IX. Multi in Papatu professi sunt, *Indulgentias pias fraudes esse, quibus Ecclesia per illam remissionis pollicitationem, homines alliciat ad exequendum devotè ea opera pia, quæ indulgentiæ forma exiguntur*, ut videre est apud *Thom.* part. 3. q. 25. art. 5. *Greg. de Valentia* tom. 4. Disp. 7. q. 20. punct. 1. At *non sunt facienda mala, ut eveniant bona Rom.* 3. 8.

X. *Indulgentiarum* deniq; *nundinationes* graviter perstrinxerunt & reprehenderunt non pauci è Pontificiis. *Status Imperii Norinb. Anno* 1522. *in Gravaminibus Nationis Germanicæ* conquesti sunt, *hisce mercium nundinationibus simul & spoliatam esse ære Germaniam; & Christi pietatem extinctam, quando quilibet pro precii, quod in has expenderat merces, modo peccandi impunitatem sibi pollicebatur, hinc stupra, incestus, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinas, fœnora ac totam malorum lernam simul originem traxisse.* Querelæ similes ingeminantur, simulq; indulgentiæ reprobantur à *Waldensibus, à Johanne Wesselo, Cardinale de Aliaco, Gersone, Authore Oneris Ecclesiæ, Andrea Vega* in Concilium Trid. l. 13. c. ult. *Claudio Espenseo*, qui de *taxa Cameræ seu Cancellariæ Apostolicæ* Comment. in Tit. 1. Digres. 2. ait, *in hoc libro plus scelerum discas, quàm in omnibus omnium vitiorum Summistis & summariis, & plurimis quidem licentiæ, omnibus absolutio emturientibus proposita. &c.*

CONTROVERSIA XVI.

An extrema Unctio verè ac propriè Sacramentum sit?

Concil. Trid. extremam Unctionem verè & propriè Sacramentum esse, sub anathemate credendum definivit Sess. 14. Can. 1. Describit autem eam *Bell.* l. de Extrema Unct. c. 1. 2. & 7. quod *in ea oculi, aures, nares, labia, manus, pedes & renes oleo exorcisato in morituris inũgantur*, quodq; *materia ejus sit oleum*

ab Episcopo benedictum; forma sit: *per istam sanctam Unctionẽ & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, &c.* quod deniq; *effectus ejus sit,* quod *sanet corpus, si expediat animæ saluti, & quod abstergat reliquias peccatorum.* Nos *Sacramento Extremæ Unctionis* hæc opponimus:

I. Omne Sacramentum nititur *verbo mandati & institutionis.* Extrema Unctio non nititur verbo mandati, & institutionis. Quod ad locum *Jac. 5. 14.* non agitur ibi de *Extrema Unctione,* quæ tantum *desperatè ac lethaliter ægrotantibus in agone* adhibetur, sed de *ejusmodi Unctione,* quæ in *primitiva Ecclesia in morbis quibusvis,* adhibita fuit. *Extrema Unctio Papistica* fieri debet *oleo exorcizato, certa adhibita formula verborum,* inunctione facta ad *certas corporis partes; Apostolica* verò unctio fiebat *oleo simplici* absq; *illis ceremoniis, adhibita solum fidei oratione. Illa* præcipuè spectat *remissionem peccatorũ, hæc* autem *sanitatis corporalis causa* potissimũ suscipiebatur, *vigente* adhuc *miraculorum gratia.* Unde *Cajetanus* in c. 5. Jac. *nec ex verbis,* inquit, *nec ex effectu colligi potest, quod hæc verba loquantur de Sacramentali Unctione Extrema, sed magis de Unctione, quã instituit Dominus Jesus, in Evangelio à discipulis exercendam in ægrotis.*

II. Omne Sacramentum N. T. propriè dictum *institutum est à Christo,* secundum *Concil. Trid.* Sess. 7. Can. 1. & quidem *immediatè* secundum *Bell.* l. 1. de Sacrament. in genere c. 23. At *Extrema Unctio* non est instituta *à Christo immediatè.* Quod ad *Marc. 6. 12.* etiamsi *Concilium Trid.* Sess. 14. de Unct. Extrem. Can. 1. definiverit, *illic institutum esse Sacramentum extremæ Unctionis,* negant tamen id *plurimi è Pontificiis,* tum qui *ante Concil. Trid.* tum qui *post tempora ejusdem* scripsere, posthabito illius anathemate, utpote *Hugo Victorinus, Altisiodorensis, Lombardus, Bonaventura, Alensis, Dominicus à Soto, Ruardus Tapperus, Toletus, Barradius Jansenius, Estius, Greg. de Valentia, Contzenius, Schvaretz, Tannerus, Raihingius, Jacob Tyrinus,* ut & *Bell.* l. de Extrem. Unct. c. 2. quia aliquot argumentis probat, *Unctionem illam*

non

non fuisse sacramentalem, quod *referretur solum vel præcipuè ad curationem morbi corporalis, quod Apostoli tum nondum fuerint Sacerdotes, quod promiscuè ungerent quos vis ægrotos, &c.*

III. Omne Sacramentum propriè dictum *certam* habet *formam* in Sacris lites expressam ac definitam, juxta *Cateches. Trid.* de Sacr. in genere. At Extrema Unctio non habet certam ejusmodi formulam. Unde in Papatu distinctæ adhibitæ sunt formulæ, *Gregoriana, Ambrosiana, & tertia* quædam ex utraque conflata apud *Eccium* Homil. 92. de Sacr.

IX. In omni Sacramento præscriptum est *verbo institutionis externum elementum.* At Extrem. Unct. elementum externum, nimirum *oleum consecratum, & exorcizatum* nuspiam præscriptum, extat in Sacris literis, uti nec definitæ habentur ullibi partes *corporis inungendæ.* Etsi verò in *Constitut. Apostolicis Clementinis* formula benedictionis olei legatur l. 8. c. 35. illas tamen Constitutiones *nullam fere authoritatem habere* agnoscit ipse Bell. l. de Script. Eccles. p. 59. Et formulâ illâ expetebatur *virtus sanitatis effectrix, ægritudinem expultrix oleo concedenda*, non autem *vis abstergendi reliquias peccatorum.*

V. Omne Sacramentum gaudet *verbo promissionis gratiæ spirituatis.* Extrema unctio non gaudet ejusmodi verbo promissionis, cùm nec è Scripturis ulla gratiæ spiritualis promissio ei facta proferri possit, & fateantur ipsimet Pontificii, *Unctionis in primitiva Ecclesia proprium finem fuisse sanitatem corporis*; Vid. *Jodocus Coccius* tom. 2. thesaur. l. 7. c. 6. *Dominicus à Soto* lib. 4. Sentent. Dist. 23. q 1. art. 2. Conf. *Georg. Cassand.* in Consult. art. 22. Vid. & *Matthias Flacius* in Confut. Catechismi Sidonii.

VI. Omne Sacramentum N. T. *in primitiva Ecclesia* in usu fuit. At Extrema Unctio Pap. non fuit in usu, *in primitiva Ecclesia:* Fiebant quidem *inunctiones* durante *dono miraculorum*, sed *oleo simplici & ad curandum*, illam autem *extremam Unctionem Sacramentalem à Felice IV. demum* circa 526. cepisse tradit ipse *Durandus*, *Polydorus Vergilius*, & *Fasciculus temporum*, nec ullum ejus exemplum proferri potest ex *primitiva antiquitate.* Ut taceamus,

amus, quod ab *Hæreticis* vel etiam *Ethnicis* originem traxerit unctio illa ut ceremonia, extra donum curationis adhibita. Vid. de *Valentinianis Irenæus* l. 1. c. 18.

VII. Adde, quod *Sacram. Extremæ Unction.* in medio Papatu reprobarint non tantùm *Armenii, Waldenses, Albigenses, Lolardi, Flagellantes, Viclefus, Taboritæ*, de quibus videatur *Coccius* l. c. ut & *Bell.* c. 1. sed & alii, qui *Catholicis* accensentur ab ipsis Pontificiis, teste *Greg. de Valentia* l. de Numero Sacr. c. 3. & 7. ut & *Schvarezio* tom. 4. disp. 39. Sect. 1. num. 2. Reprobavit eam *Johan. de Vesalia*, reprobavit *Glossator Decretalium* l. 4. de secundis Nuptiis c. 3. Vir autem tit 21.

CONTROVERSIA XVII.

Utrum Ordo vere ac propriè Sacramentum sit?

Concil. Trid. iterum Sess. 14. de Sacramento Ordinis c. 3. sub anathemate definivit credendum, quod *ordinatio verè ac propriè Sacramentum sit*, quod & propugnat *Bell.* l. de Sacramento Ordinis c. 2. Ad ordinem autem referunt *septem Ordines; Sacerdotii, vel Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acoluthatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Ostiaratus.*

Nos verò *Ordinem Sacramentum* esse hisce motivis argumentis negamus:

I. Omne Sacramentum N. T. propriè dictum Novo Test. *proprium* est. At Ordinatio non est N. T. propria; quandoquidem *Sacerdotes etiam Levitici* certis ritibus fuerint ordinati ad ministerium *Exod.* 29.

II. Omne Sacramentum gaudet *externo elemento*, verbo *institutionis* sancito. At ordinatio non agnoscit ejusmodi externum elementum, verbo ordinationis sancitum. Quod enim ad χειροθεσίαν vel *manuum impositionem*, illa ceremonia fuit liberè adhibita ab Apostolis, non autem habita pro *Sacramento* vel *Symbolo* quodam divinitùs instituto, ad applicationem gratiæ spiritualis.

III. Omne Sacramentum N. T. à *Christo institutum* est. Atqui ordines Papistarum non sunt à Christo, ceu Sacramentū

institu-

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0182
Mecklenburg Vorpommern

institui, cum nullum ejsmodi *institutionis Sacramentalis* proferri possit documentum: imò *plerique ordines* nec *nominati* quidem sint *à Christo & Apostolis*, qui à Pontificiis recensentur, cum Bell. ipse fateatur *minores*, quos vocant, *ordines non ita communiter pro Sacramentis haberi*. *Vasquetz* in part. 3. Thomæ Disp. 237. negat *quatuor Ordines Minores à Christo institutos esse*, quæ etiam fuit sententia *Dominici Soti*, *Medinæ*, *& aliorum*. Quid, quod *Dominicus à Soto* de Justitia & Jure q. 1. art. 2. *aliiq.* Catholici, fatente *Estio* in 4. Sent. dist. 24. & *Bellar:* de Sacrament. Ordin. c. 9. negarint *ipsum Episcopatum esse Sacramentum vere & proprie dictum*.

IV. Omne Sacramentum gaudet *promissione gratiæ*, *Evangelio propriâ de communicatione*, *applicatione & obsignatione remissionis peccatorum*. Atqui ritus Ordinationis non gaudet ejusmodi promissione gratiæ. E. *Minor* patet, quandoquidem nulla ejsmodi promissio è Sacris literis proferri possit. Quod enim ad loca *1. Tim. 4. 14. 2. Tim. 1. 6.* non agitur illic de gratia *justificante*, quæ in Sacramentis promittitur, uti *Salmero* ipse & *Justinianus* exponunt de *authoritate docendi*, & de *donis ad exequendum munus Episcopale*, *sapientiæ*, *scientiæ*, *linguarum &c.* eam interpretatur Estius. Quod *Bell.* l. 1. de Sacrament. in genere c. 26. ipse fateatur, *authoritatem conferendi Sacramenta non esse gratiam gratum facientem sed gratis datam*. Similiter ex *impositione manuum* non redundabat *gratia justificationis* ad eos, *qui ad Sacerdotium ordinabantur*, sed interveniente *oratione fidei*, quæ super ipsos fiebat, conferebantur ipsis dona, *ad muneris functionem* necessaria. Distingvendum ergò inter dona *ministrantia*, *& sanctificantia*.

V. Accedit, quod quidam ex ipsis Pontificiis inficientur *ordinem esse Sacramentum*, utpote *Sotus* l. 4. Dist. 24. art. 4. aliique *Scholastici*, è recentioribus Dominicus Sotus apud *Bell.* l. de Sacr. Ord. c. 5. *Marcus Antonius de Dominis*, *Archiepiscopus Spalatensis* l. 2. de Rep. Christ. c. 4. num. 4. ostendit *Clementem*, *Dionysium Areopagitam*, *Cyprian. Hieronym.* & alios ordinem non habuisse pro Sacramento.

VI. Si impositio manuum non est *de essentia Ordinis*, utique ordinatio non est Sacramentum proprie dictum, fatente *Lorino* in Act. 6.9. & *Bellarm.* l.c.c.9.§. Respondent. Atqui *impositio manuum* non est de *ordinis essentia*, ut agnoscit *Thomas, Richardus, Durandus, Paludanus, Biel, Sylvester, Angelus, Capreolus, Major, Tapperus, Greg. de Valentia, Dominicus Sotus*, qui insuper provocant ad consensum *concil. Florentini* apud *Tannerum* tom. 4. Theol. Scholast. Disp. 7. q. 2. Dubio 4. num. 76. Confer. & *Altensteig* in Lexico V. ordo &c.

VII. Addimus hisce tandem, quod in Concilio Tridentino *Fr. Petr. Ramirius Franciscan. secutus doctrinam Johannis Scoti monuerit, non dicendum, ordinem esse Sacramentum, quia res est invisibilis & permanens, cum Sacramenta omnia visibilia sint, & præter Eucharistiam in actione consistant*: quod *Hier. Bravo Dominic. fassus sit de septem ordinibus, an sint Sacram. divinitus instituta, magnam esse inter Theologos opinionum varietatem, è quibus vix invenias duos, quibus inter se conveniat, quod perspicientem Cajetanum jam senem hoc scriptum reliquisse: Si collecta fuerint, quæ Pontificiales Codices, quæve ratio, autoritas &c. doctrina tradidit, incerta valde apparebit, Presbyterio excepto, reliquorum Natura Ordinum; Magistrum certè tenere, Minores ordines, & subdiaconatum constitutos ab Ecclesiâ. Diaconatum in Scripturâ institutum mensarum ministerium videri, non, ut nostrum, altaris. Jam varietatem, quæ circa minores Ordines in vetustis Pontificialibus conspicitur, in uno hoc, in altero omnia alia satis indicare, Sacramentalia hæc esse, non Sacramenta. Imo huc ipsam rationem nos ducere, dum quæ facit ordinatus, eadem ipsa potest & non ordinatus facere, nec minus valide, eodemq; effectu, & perfectione. V. Petr. Suav.* l. 7. H. C. T. p. 686. 693.

CONTROVERSIA XIIX.

An Episcopi jure divino superiores sint presbyturis?

Conc. Trid. Sess. 23. c. 7. *anathema* dicit *iis, qui negant Episcopos Presbyteris superiores esse. Bell.* verò demonstrare etiam conatur, *jure divino majorem esse Episcopum Presbytero*, quod

quod ad ordinis potestatem, ut & quoad jurisdictionem, idq; Ecclesiam Catholicam docere, asserit lib. de Clericis c. 14. Quanquam verò nos Episcopum ἐξοχὴν quandam obtinere, quoad *ordinem in Ecclesia, & superiorem esse jure humano positivo*, non diffiteamur, minimè tamen admittimus, *superiores esse Episcopos Presbyteris jure divino*, quoad *potestatem jurisdictionis*.

I. Quia nullum habetur decretum *in pandectis juris divini*, quo *superioritas jurisdictionis* firmari possit. E. 1. *Timoth. 5. 19.* probatur *usus* tantum *Ecclesiæ*, non autem *jus divinum* colligitur, quanquam & ille usus *peculiaris* fuerit, nec è potestate data Timotheo ab Apostolo æstimare liceat potestatem quorumvis Episcoporum, quod fatetur *Marsilius Patavinus*, in defens. Pacis part. 2. c. 28. Quod autem *Episcopi* in *Apostolorũ* locum successerint, in quantum Apostoli erant *superiores 70. Discipulis*, nunquam demonstrabunt Papistæ. Nec ideò concludi potest, superiores esse Episcopos Presbyteris, quia successerint in Apostolorum locum, cum & Christus *sui loco* discipulos miserit *Joh. 20. 21.* qui tamen inter se invicem superiores non sunt.

II. Quia *Presbyteri* vocantur in Scripturis *Episcopi*. Sic *Presbyteri Ecclesiæ Ephesinæ Act. 20. 20, 28.* dicuntur *à Spiritu Sancto constituti Episcopi*. Qui ergò inferiores habendi erunt *jure divino* Episcopis, quos ipse Spiritus Sanctus constituit Episcopos? Unde *Hieron.* & ex ipso *jus Canon. c. Legimus. Dist. 93.* asserit: *Apostolũ perspicuè hîc docere, eosdẽ esse Presbyteros, quos Episcopos.*

III. Rursus *Apostoli*, quos *Episcopos* fuisse, & in quorum locum successisse Episcopos volunt adversarii, vocant se *Presbyteros, sympresbyteros q.* utpote *Petrus 1. Ep. 5. 1. Joh. 2. Ep. 1. & 3. Epist. 1.* Nõ ergò *inferiores* fuere in Apostolicâ Ecclesiâ Presbyteri Episcopis, sed iidem tunc *Episcopi* fuere, qui Presbyteri.

IV. Permutantur insuper apertè *usu Apostolico* nomina *Presbyterorum & Episcoporum*, adeo ut qui *Presbyteri* dicuntur, etiã indigitentur *Episcopi Tit. 1. 4. 6. Presbyteros*, ait, *constituendos esse inculpatos, quia Episcopus inculpatus esse debet.* Quis hic non videt, *Presbyteros* habitos fuisse ab *Apostolo* pro *Episcopis*?

V. *Hierarchia Apostolica 1. Cor. 12. 18. Eph.* 4. 11. satis docet, non fuisse *episcopatum* tum *ordinem superiorem in Ecclesia*, cum ne quidem illius ordinis mentio fiat, sed tantum sub *Pastorum ac Doctorum* nomine comprehendantur *Episcopi* pariter & *Presbyteri*.

VI. Si in una eademque Civitate *plures Episcopi* fuere in Apostolica Ecclesia, utique Presbyteros dictos etiam fuisse *Episcopos*, & habitos certum est. Quod si enim jurisdictione superiores tum fuissent Episcopi, uti nunc in Papatu, uni Civitati nonnisi unus præfectus fuisset. At prius colligere licet ex *Act. 20, 28. Phil. 1. 1.*

VII. Si Episcopi officium *commune* est *Presbyteris*, juxta Scripturam, utriq; superiores non sunt Episcopi, jure divino, *Presbyteris*. At ἐπισκοπὴ vel *inspectio Ecclesiæ*, vel officium Episcopi presbyteris quoque convenit 1. *Tim.* 3. 1.

IIX. Qui exclusi non fuere *à manuum impositione*, ac *ordinatione* in primitivâ Apostolicâ Ecclesia, illis nec Episcopalis dignitas denegata fuit, jure divino. At *Presbyteros* minimè exclusos fuisse è 1. *Tim.* 4. 11. patet, eademque facultas ipsis permittitur *Quoniam Dist. 69. ex 7. Synodo.*

IX. *Ecclesia primitiva non* agnovit superioritatem *Episcoporum*, ut videre est è *c. Olim Distinct. 95.* Et *c. Nullus dist. 60.* cum duos ordines tantum habuerit, *Presbyteratus & Diaconatus. Hieron. Sacerdotes, vel Presbyteros Episcopis pares facere*, ut & *Ambrosium*, *Chrysostomum*, *Sedulium*, *Anshelmum*, nisi quod *ordinandi potestate*, non tamen de *jure divino*, superiorem faciat *Episcopum Chrysostomus*, è testimoniis ipsorum apud *Sixtum Senensem* l. 6. Biblioth. annot. 324. videre est. *Michael Medina* l. 1. de Sacrorum origine, cap. 5. non solum *Hieron.* sed etiam *Ambrosium*, *Augustinum*, *Sedulium*, *Primasium*, *Chrysostomum*, *Theodoretum*, *Oecumenium*, & *Theophylactum hanc æqualitatem adstruere* fatetur. Vid. de eo quoque *Cassander* Consult. art. 14. *Erasmus* annot. 1. Tim. 4. ut & *Claudius Espenseus* lib. 1. Digression. in 2. Tim. 1.

X. Acce-

X. Accedunt suffragia *Autoris Glossæ ordinariæ* in Act. 20. *Cusani* l. 2. de Concord. Catholicorum c. 13. *Cajetani* in 1. Tit. *Marsilii Patavini, & Erasmi* locis citatis, qui fatentur, *jure divino Episcopos non esse superiores Presbyteris.* Quod & *Canonistas, & alios Pontificios* admittere observat *Claudius Espenseus* l. c. Quid, quod diserte idem doceatur ex *Hieronymo c. Olim Dist.* 95. ut & ex *Isidoro c. Cleros Dist.* 21. uberiusq; confirmetur *c. Legimus Dist.* 93. Nec ausum fuit *Concilium Trident.* definire, quod *divini juris* sit illa superioritas. Quod in ipso Concilio negabant *Michael Oroncustus, & Johan. Fonseca, Theologi Hispani*, teste *Petro Suavi* Hist. Conc. Trid. p. 670. Quî ergò anathemate ferit eos, qui id, quod *humani* solum *juris* est, negant?

CONTROVERSIA XIX.

An Clerici possint contrahere Matrimonium, &, An contractum eorum Matrimonium validum sit?

Concil. Trid. Sess. 8. Can. 9. *anathema* dicit illis, qui ajunt, *Clericos, in sacris ordinibus constitutos, posse Matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiastica. Bell.* lib. de Clericis c. 20. *Votum continentiæ annexum esse*, ait, *ordinibus sacris ita, ut nec uxores ducere, nec uxoribus antea ductis uti liceat, post ordinationem positivo quidem jure, sed antiquissimo & æquissimo, quod nullo modo expediat, ut hoc tempore relaxetur. Costerus* in Enchiridio, approbante *Gretsero* in Hist. Ordinis Jesuit. p. 115. *gravius pronunciat, peccare Sacerdotem, si Matrimonium contrahat, quam si fornicetur, aut domi concubinã foveat.* Nos verò negamus, *conjugatos jure à sacris arceri ordinibus.* Negamus, *jure exigi ab iis, qui sacrum ingrediuntur ministerium, juramentum & votum cœlibatus*, adeoq; *constitutos in sacro Ministerio potestatem habere Matrimonium ineundi, usq; Ministerium initum Matrimonii contractum in validum reddere*, profitemur.

I. Quia *Lex cœlibatus Sacerdotum* è Scriptura probari non potest, cum nullum ejus vestigium in Sacris literis habeatur, imò si Scripturis probari posset, *juris* esset *divini*, non autem

ſolum Eccleſiaſtici, quod tamen agnoſcit *Cajetanus* tom. 1. Opuſc. Tract. 27. *Cuſanus* Epiſtola 2. ad Bohemos, ut *Gratian9* ad c. *Sors. Diſt. 26. q. 2. Bell.* contendit quidem, eſſe id *juris Apoſtolici*, eo quod Apoſtolus jusſerit Epiſcopum eſſe ἐγκρατῆν *Tit.* 1. 5. At quia *Chriſtus* ipſe *per Apoſtolum jubet Rom. 15. 18. 2. Cor.* 13. 3. *& c.* 2. 17. non *Apoſtolici ſolùm*, ſed *divini juris* eſt, quicquid præcipit Apoſtolus. Sed negam9 *cœlibatum præcipi*, cum nec vox ea ſignificet uſpiam *cælibatũ*: Vid. *Act. 24. 26. Gal. 5. 23. 2. Petr. 1. 6.* nec id permittat *contextus v. 6.* quem *Juſtinianeo & Eſtius de continentia affectuum* exponunt. *Alios quosdam recentiores, præter mentem veterum Græcorum & Latinorum Interpretum, hìc Clericalis continentiæ jus divinum urgere* fatetur *Claudius Eſpenſeus* in Comment. in Tit. 1. cap. fol. 485.

II. Quia Apoſtolus *1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 6.* non prohibet, ſed permittit, *ut Epiſcopus ſit unius uxoris Vir.* Nec eſt, quod obvertatur, *unius uxoris virum dici*, quia *unam uxorem habuerit*, non qui *habeat*, quia textus *in præſenti* loquitur de eo, qui habeat: *Si quis eſt, oportet eſſe &c.* adhæc deſcribitur *1. Tim.* 3. *11.* quales debeant *uxores eſſe Epiſcoporum & Diaconorum*, ut è contextu liquet, *de eorum uxoribus ſermonem eſſe*, idque agnoſcunt *Cajetanus*, *Gvilandus*, *Salmero*, *Emanuel Saa*, *Juſtinianeus*, & *Eſtius*; adde quod plures *ſucceſſivè* uxores habere non fuerit, *illicitum*, qvodq; ideò nemo à Sacerdotio excluſus fuerii, ſed interdicta ſaltem, hìc ſit πελυγαμία *ſimultanea* (quæ, ut *Scalig.* obſervat in Notis ad N. T. & *Baronius* ad A. 58. in Annalib. concedit, *adhuc uſitata erat*) quod *Epiſcop9 non debeat duas* κατὰ ταυτὸ *habere uxores*, ut docent *Theodoretus*, *Chryſoſtomus*, & *Theophylactus.*

III. Quia Apoſtolus 1. *Cor. 9. 5.* teſtatnr, *licere ſibi ſororem circumducere*, i. e. *uxorem*, uti id de Uxoribus Apoſtolorum interpretantur *Valla Vatablus*, & *Leo IX. c. Omninò Diſt.* 31. Quod a. *licitum* eſt, id lege minimè eſt *interdictum.*

IV. Quia De9 conjugium omni hominum generi liberũ reliquit 1. *Cor. 7. 25. 28. 36.* imò *propter fornicationem v. 2. habeat*

annus-

unusquisq; uxorem suam. Ob periculum ergò fornicationis declinandum Sacerdotes etiam poterunt uxores habere, imò si *continentiæ dono* prædit i non sint, quod singulare prorsus est, nec toti alicui ordini commune *Matth.* 19. 11. 1. *Cor.* 7. 7. hoc ipso jubentur Matrimonium inire, ut *Thomas & Arias Montanus in hunc locum* agnoscunt.

V. Si *conjugium omnibus honorabile* est, utique nulli hominum generi id interdicendum est. At verum prius *Hebr.* 13. 4. ubi *Apostolum extollere matrimonium, tanquam scortationis remedium, idq; honorabile dicere, ne quis dicat malum esse apte natura & damnabile*, agnoscit *Salmero*.

VI. Quicquid juris est *divini & naturalis*, id nō potest tolli lege *humanâ*. At conjugium est *juris divini Gen. 1. & 2. c.* ut & *naturalis*. Vid. *Pererius* l. 8. de Commun. natur. princip. c. 6. E.

VII. Doctrina dæmoniorum non est ferenda in Ecclesia. Atqui interdictum matrimonij est *doctrina dæmoniorum 1. Tim. 4. 3. E.*

VIII. Si *Petrus*, aliíque *Apostoli* pleríque uxores habuerunt, nec à Christo jussi sunt relinquere easdem ob sacrum ministerium, utiq; in sacro ministerio constituti uxores habere possunt. At verum est prius, ut è *Matt. 8. 14. & Ignatio* in Epist. Philadelph. *Clem. Alexandr.* l. 3. Stromatum patet *Matthæi* 19. *v.* 29. non vult Christus, *matrimonium dissolvi*, sed vult *se uxori proferri*, ut fatetur *Maldonatus hunc* in *locum*.

IX. *Coactio Sacerdotum ad cœlibatum* nefarias parit libidines, & innumera introducit scandala, cum *pauci sine vitio fornicationis reperiantur Sacerdotes*, ut habetur in *Glossâ in c. Maximinq Dist. 81. Eo res jam rediit*, inquit *Cassand.* in Consult. art. 33. *ut vix centesimum invenias, qui à conversatione fœminarū abstineat; populus ita affectq est, ut Sacerdotis fornicatoris seu concubinarii ministerium vel prorsq condemnet, vel leviq æstimet, Maritum verò Sacerdotem æquiq ferat.* De variis sceleribq hanc coactionem insequentibq vid. *Georg. Wicelius* in Comp. de Semitis antiquis. *Alvarq Pelagiq* de Planctu Ecclesiæ, *Claudiq Espen-*

seus

seus l. 3. digr. in 1. Tim. 1. 2. qui testatur etiam, quod *post Trid. Conc. à Presbyteris tributum annum, pro licentia concubinatus exigatur etiam ab iis, qui nollent concubinas. Namutatur, si velit, dici ab Officialibus.* Dig. 2. in Epist. ad Tit. fol. 459. Conf. & *Petrus Suavius* l. 6. Hist. Concil. Trid. pag. 616.

X. *In veteri Ecclesia honestos maritos ad Ecclesiæ ministerium admissos esse, & adhuc admitti in Orientali Ecclesia, nec adigi adsumtos ad Sacerdotium, ut uxores relinquant, idq;* decretum fuisse Syn. 6. Generali Trullanâ Can. 13. *nullo modo legitimus Diaconorum & Presbyterorum nuptias esse dissolvendas, nec ante ordinationem ad profitendam castitatem esse compellendos* fatetur *Cassand.* in Consult. art. 23. Post *susceptum* autem *Sacerdotium contrahere matrimonium licitum adhuc fuisse 300. post Apostolos annis è Can.* 10. *Anticyrani Concilii* liquet apud *Binium* & è *Dist. 28. c. Diaconi:* nisi quis recepisset, se mansurum cœlibem, quæ *obligatio* ex *spontaneo voto*, non ex *lege Ecclesiastica oriebatur*, fatente *Vasquetz* in tertiam Thomæ fol. 349. *Jodoco Clichtoveo* l. de Continent c. 6. & *Claudio Espenseo* l. 1. de Continentia c. 9. ut & *Cassand.* loc. cit. Quanquam verò deinde *Presbyteris ordinatis* à Romanis Episcopis interdictum fuerit, *ne uxores ducerent*, contradixerunt tamen huic statuto *Salviano* Aõ. 480. *Angli* Anno 900. apud *Polyd. Vergiliũ* lib. 6. *Dani & Gothi* apud *Saxonẽ Grammaticũ* l. 15. & *Germani omnes inde à tempore Gregorii VII.* apud *Espenseum* l. 1. de Continent. c. 12. fuitq; apud Græcos adhuc *tempore Leonis VI. Imperatoris* in usu, ut *Sacerdotes biennio post assumtum Sacerdotiũ uxores ducerent*, Navella 3. Leonis, apud quos etiamnũ licet *uxoribus ante Presbyterium ductis uti*, quod *ceu legitimum declaravit ipsa Romana Ecclesia.* Vid. *Espenseum* l. c. fol. 680. Confer. c. *aliter Dist.* 31. In *Poloniæ* etiam *regno* Sacerdotes usq; ad A. 1219. uxores habuisse ex *Annalibus* docet *Andreas Dudithius* in demonstrat. pro conjugio Clericorum p. 90. Deniq; ab *Ecclesia universali*, aut *Concilio Oecumenico* aliquo nunquam prohibitum fuit, ne *post ordinationem matrimonium inirent.*

XI. Tandem addimq *suffragia adversariorum.* Cœlibatus enim

enim legem non esse *juris divini*, sed *humani* agnoscunt *Lombardus, Thomas, Durandus, Scotus*, aliiq; Scholastici c. *His igitur Dist.* 33. docetur, *Clericos debere castimoniam perpetuo conservare, aut certè unius matrimonii vinculo fœderari c. Si quis docuerit. Dist.* 37. citatur *Canon Apostolicus, Si quis docuerit, Sacerdotem sub obtentu religionis propriam uxorem contemnere, anathema sit, &c.* in ipso Concilio Trid. *Galli plerig. Presbyterorum conjugium saltim ceu licitum urserunt*, (apud *Petr. Suav.* Hist. C. T. p. 763.) *assentiente etiam Cardinali Lotharingiæ.* ut & *Card. Castilianeo*, qui facto ipso legi cœlibatus contradicturus sub idem illud tempus, quo ea controversia agitabatur in Concilio, uxorem duxit. Eandem legem impugnavit oratione *Legatus Ducis Bavariæ, Paumgartnerus*; quin & *universi per Germaniam Episcopi cum Imperatore & Duce Bavaro literis eo destinatis adseruere. Jure divino permitti Sacerdotibus utriusq; Testamenti Conjuges, idq; ex omni Antiquitate probarunt*, adeo ut *Papa ipse cogitaret de Colloquio* [abrupto jam Concilio Tridentino] *Romæ circà hanc quæstionem instituendo, nisi Cardinalis Simoneta conatum stitisset.* Vid. *Petr. Suav.* Histor. p. 921. seqq.

CONTROVERSIA XX.

An matrimonium verè proprieque Sacramentum sit?

Concil. Trid. Sess. 14. Can. 1. *anathemate* ferit eos, qui *negant, id verè & propriè esse legis Evangelicæ Sacramentum, à Christo institutum, gratiamq; conferre.* At nos nihil moti bruto hoc fulmine, id omnino negamus.

I. Quia nullo *è Scriptur. documento affirmativa* probari potest. *Eph.* 5. 32. fatentur *Erasmus, Cajetan. Vasquetz, Pererius, Dominic. à Soto, Jansenius, Estius &c.* neq; naturale conjugium dici Sacramentum, neque hinc probari posse Sacramentum; nimis enim manifestum est, ibi sermonem esse de *mysticâ* [illorum cum *Christo conjunctione*, ut constanter exponunt Patres, *Chrysost. Hieronym. August. Beda &c.*

II. Omne Sacramentum est *Ecclesiæ proprium*, cùm Sacramenta

menta bona sint Ecclesiæ. At Matrimonium non est proprium Ecclesiæ, quandoquidem locum etiam habet *apud infideles extra Ecclesiam.*

III. Quod jam institutum fuit à Deo in Paradiso, id non est *legis novæ*, ut loqui amant Pontificii, *Sacramentum.* At *Gen.* 2, 18. *Et* 1, 28. conjugium fuit in Paradiso institutum. E.

IV. Omne Sacr. Novi. Test. proprium est Novo Test. nec in Vet. Test. locum habet At Matrimonium non est propriũ N. T. sed in Vet. locum habuit. E. non est Sacrament. N. T.

V. Ad usum Sacramenti adstringuntur *omnes*, quibus id deputatum est, *vi mandati divini.* Atqui ad usum Conjugii non adstringuntur omnes mandato aliquo divino, *generali, & universali.*

VI. Sacramenta proprie dicta habent *externum aliquod sensibile elementum* divinitùs sancitum & institutum, juxta illud: *Accedat verbum ad elementum, & erit Sacramentum.* At Matrimonium non habet tale elementum. E.

VII. Omne Sacramentum habet promissionem gratiæ *spiritualis, remissionis peccatorum, justificationis &c.* At nulla talis promissio facta est matrimonio. Fatetur id *Lombard.* matrimonium non *conferre gratiam adjutricem*, ut & *Guilh. Peraldus & Jac. de Vitriaco Cardin.* apud *Estium* 4. Sentent. dist. 26. Negatur etiam id ab *Altisiodor.* ut & in *Glossa ad cap. sunt, & ad cap. quicquid, 1. q. 1. & ad c. Alma, de Sentent. excommun. in sexto &c.* nimirum gratiam spiritualem conferri per matrimonium, adeoq; derogatur ipsi ratio Sacramenti veri.

VIII. Sacramenta sunt *media*, per quæ Deus *gratiam* suam nobis *offert*, oblatamque credentibus *confert* 1. *Cor.* 12. *Gal.* 3. 27. At Matrimonium non est medium gratiæ offerendæ & conferendæ. E.

IX. Sacramenta spectant *immediatè* ad *vitam spiritualem & æternam*, non autem ad *vitam hanc temporalem & terrenam Joh.* 3. 5. 1. *Cor.* 12. 13. *Tit.* 3. 5. At Matrimonium immediatè ad hanc vitam spectat *Gen.* 1. 38. *Et.* 2, 18. E.

X. Ad-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0192
Mecklenburg Vorpommern

X. Adde quod *Canonistæ, Cardin. Hostiensis* (posteà *Papa Innocent. V.*) *Goffredus, Carerius, Alber. Gentilis.* aliiq; negant esse *Sacramentum*, ut & *Scholastici Altisiodorensis*, *Durandus*, qui suæ opinionis consortes adducit aliquot *Doctores Canonum, ac præterea* glossam c. Honorantur 32. q. 1. *Magistrum Sententiarum* notante *Estio* l. 4. Sentent. 26. §. 7. & è recentioribus *Melchior Canus* l. 8. locor. Theologicor. c. 5. Et cùm Pontificii statuant *Conjugium esse immunditiem, pollutiones, carnales sordes* c. Decernimus Dist. 38. ut & c. Plurimos Dist. 82. quomodo habere id possunt pro *Sacramento, propriè dicto.*

SECTIO IV. & Ultima.

DE PUBLICO DEI CULTU ET ECCLESIA.

CONTROVERSIA I.

Utrum in Missâ offeratur verum & proprium Deo sacrificium?

Concil. Trident. Sess. 22. Can. 1. *anathemate* ferit eos, *qui dixerint in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium*; ut & can. 3. qui dixerint *Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut commemorationem sacrificii in cruce peracti.* Declarat id porrò c. 1. *Dominus noster corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc N. T. Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & iisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem: Addit c. 2. divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, eundem illum Christum contineri, & incruentè immolari, qui in ara crucis seipsum semel cruentè obtulit.* Bellarm. l. 1. *de Missa* c. 5. *Catholicos Scriptores, qui hoc nostro seculo de sacrificio Missæ scripserunt, in eo potissimum*

simum laborare, ait, ut ostendant, in Missa offerri Deo verè ac propriè corpus ac sanguinem Domini, sub specie visibili panis & vini.

Nos verò sacrificium hoc Papisticum prorsus reprobamus, & ceu *impium ac blasphemum commentum* rejicimus: adjuncta quidem & accidentia nonnulla Eucharistiæ, tùm *dona à communicantibus ad ejus celebrationem offerri solita*, tùm etiã *preces & gratiarum actionem in ipsa celebratione, commemorationem gratam sacrificii Christi propitiatorii*, & id genus alia pietatis exercitia, *sacrificia metaphoricè & improprièdici* posse: adesse etiam in S. Eucharistiâ *illud ipsum corpus, quod in ara crucis immolatum fuit*, ceu *materiam sacrificii N. T. offerri* insuper Deo à communicantibus h. e. *in precibus Deo exhiberi, & repræsentari, ceu sacrificium propitiatorium* (ubi tamen non ipsa *substantia physica* corporis Christi, sed *actiones & passiones* ejusdem Deo repræsentantur) quin & ipsam *sumtionẽ Eucharistiæ*, in quantum est *devota paritio communicantis ad exequendum mandatum*, edite, bibite, posse *sacrificium laudis* vocari, haud diffitemur. At præter hæc *sacrificia improprie dicta communicantium*, actionem quandam *soli Sacerdoti* propriam, S. Eucharistiam esse, quæ sit *verè propriè*, dictum sacrificium, & *oblatio hostiæ sacrificialis*, qua sub *accidentibus panis & vini* sacrificulus *corpus & sanguinem Christi* Deo immolet, offerat vel sacrificet, idque *verè ac propriè*, uti verè ac propriè Christus ipse in arâ crucis sese DEO obtulit ac sacrificavit, hoc est, quod prorsus inficiamur.

I. Quia nusquam in Scripturis docetur, *Christum in S. Cœna sese Deo Patri obtulisse vel sacrificasse, velut corpus suum offerretur à Sacerdotibus* in Eucharistiâ, instituisse: Id autem tantum facere debent Sacerdotes, quod Christus fecit, &, ut facerent, instituit. Fatetur *Azorius* tom. 1. lib. 10. Instit. c. 18. fol. 851. ut & *Salmero, quosdam ex Catholicis negasse, Christum seipsum sub specie panis & vini obtulisse*, tom. 9. tract. 27. p. 198. *Arenæ laxæ & instabili ædificare, qui è S. scriptura elicere conantur sacrificiũ*

Missæ,

Missæ, docuit in Concil. Trid. *Georg. Ataides Regis Lusitaniæ Theologos* apud *Petrum Suavem* historia Concilii Tridentini p. 614. *Cornelium Bipontinum Episcopum* iidem docuisse, *Christum in Cœnâ non obtulisse corpus & sanguinem suum*, observat. *Melchior Canus* in Locis Theol. l. 12. Quid quod hæc controversia, quod Christus seipsum in S. Cœnâ obtulerit, *tàm Theologos quam Patres in æquales propè partes dissecuerit*, negantibus id plurimis *1. quod sacrificii materia id non permitteret. 2. quod supervacanea alioquin futura fuisset oblatio in cruce peracta quâdoquidem ea oblatione, quæ in Cœna præcessisset, universum genus humanum redemptum fuisset. 3. quod sacrificium altaris à Christo institutum sit in commemorationem ejus, quod in cruce obtulit; nihil autem commemorari posse, nisi quod est peractum, ideo Eucharistiam sacrificium esse non potuisse ante Christi in cruce oblationem. 4. Item neq. Scripturam, neq. Canonem Missæ, neq. Concilium ullum unquam meminisse, Christum in Cœna obtulisse semetipsum: Quæ autem è Patribus adferuntur, ea omnia oblatione facta in cruce haud dubiè accipienda esse.* Vid. ibid. *Petrus Suavis* p. 613.

II. Quod *in verbis Institutionis* sacrificatio corporis & sanguinis Christi in S. Cœnâ Sacerdotibus neutiquam mandata sit à Christo, aut sancita; omnis verò actus *necessarius & essentialis* Sacramenti è verbis Institutionis demonstrandus est, & ut iisdem sanctus sit oportet: Unde etiam *Tridentini Patres* asseruêre, *Christum in institutione præcepisse actũ sacrificandi his verbis: hoc facite*; at quod illis præceptus non sit, inde liquet: 1. quia id facere jubentur Apostoli, quod Christus fecit. At Christum seipsum obtulisse in Cœnâ falsum est, id quod plurimi è Pontificiis agnoscunt, ut jam ostensum. 2. Retert sese verbum, *hoc facite*, ad actus *antecedaneos*: in illis a. de *benedictione, distributione, acceptione, & manducatione*, non a. quicquam de sacrificatione in Cœna factâ docetur, ideoque nec hisce verbis eadem præcipitur, quibus *imitari* saltem jubemur, non autem *imitationis materia* sancitur, aut præcipitur. 3. verbum illud, *facite*, actionem sacrificicandi notare falsum est, nec è Scripturis S. probari potest. Nusquam enim

τὸ ποιεῖτε simpliciter positum, idem est, quod *sacrificate*. Unde *Suaretz* ipse fatetur, *demum* facite, *significare sacrificate, quãdo juxta materiam subjectam talis significatio convenienter aptatur*, part. 3. tom. 3. disp. 46. sect. 2. At hic subjectam materiam esse sacrificium, probari non potest. 4. verbum id non pertinet solum ad *sacerdotes*, sed referendum etiam est ad *cõmunicantes*, quod fatetur *cajetanus* tom. 3. opuscul. tract. 10. c. 3. *Bellarm.* l. 4. de Euchar. c. 24. Non ergo significat actionem *sacrificandi*, quandoquidem ea non sit *communicantium*, sed juxtà Pontificios, ad *solos Sacerdotes* spectet. 5. quia *facere* jubemur *in commemorationem sacrificii* Christi ea, quæ primâ Cœnâ fiebant, non autem ipsimet *sacrificare* Christum. 6. Argumentum è verbo *facite* peti non posse, agnoscunt *Cajetanus* cit. loc. *Alphonsus à Castro* voce Missa, *Huntleg* controv. de Missa, *Becanus* l. 3. de duplici sacrificio, *Estius* in 1. Cor. 11. negat, verbum *facere* idem esse, quod sacrificare, idq; *plane præter mentẽ S. Scripturæ sic explicari probat*, quia *in verbis, quotiescunq; hoc feceritis, in mei commemorationem*, feceritis, *non nisi coactè per sacrificare exponi potest*: Unde *Archiepiscopus Gratianensis* in Con. Trid. apud *Petrum Suavem* p. 617. negavit, *Christum his verbis instituisse sacrificium*, hoc facite in mei commemorationem.

III. Si Eucharistia est *Sacramentum*, in quo Christus hominibus sub pane & vino exhibet corpus & sanguinem suum ad edendum & bibendum, utiq; non est *sacrificium*, in quo Deo offeratur, & sacrificetur corpus & sanguis Christi ab hominibus, sub panis & vini accidentibus. At verum est prius. E. *consequentia* patet è distinctione *sacrificii & Sacramenti*; *Sacrificium* enim est aliquid, quod nos Deo offerimus, at *sacramentum* datum est nobis à Deo: Et sicut ridiculum est, *per testamentum dari aliquid testatori ab hærede*; Sic absonum est, *Christum à nobis Deo in sacrificium offerri in* S. *Cœna, qua Testamentũ est*; Vid. B. *Luthero* lib. de Captiv. Babyl. & de abrogãda Missa, ut & *Hutterus* in Triũpho de Regno Papistico p. 381.

II. In omni *sacrificio propriè dicto* requiritur *certa materia s.*

substa-

substantia & victima, quæ offerri debet, à Deo ipso sancita? At missa Pontificia tali destituitur. Quænam enim illa? num *panis & vinum*, an verò *corpus & sanguis* Christi? at *panis & vinum* non manent juxtà Pontificios, sed transeunt & transsubstantiantur; Quomodo ergò offerri possunt DEO, cum non amplius sint ratione *substantiæ*? Corpus autem Christi & sanguis non adsunt, juxta Pontificios, nisi *transsubstantiata*, quod est purum putum commentum. Adhæc ita non *ipsissimum* corpus Christi offerretur Deo, quod *in arâ crucis* oblatum est, sed *corpus aliquod, è pane oriundum per transsubstantiationem*, quod utique à corpore Christi *naturali* maximè distinctum est, ut docet Bell. l. 1. de Miss. c. 27. & l. 2. c. 4. in crucis *sacrificio esse naturale corporis Christi* fuisse destructum, in *Missâ* autem ejus *esse Sacramentale*. Qui ergò unum & idē erit *crucis & Missæ* sacrificium? Orant sacrificuli in Missâ, ut *Deus hæc dona accepta habere velit, quæ offerunt, ut q. ea per manus Angelorum ad summum altare in cœlos deferantur*. Quomodo verò hæc conveniunt *corpori & sanguini Christi*? num *pro illis orandū ut Deo sint accepta*? num illa in Cœlos deferuntur *per S. Angelos*? & quomodo *manducatur* corpus Christi & *bibitur* sanguis ejꝰ, si *illa in cœlos deferuntur*? Deniq; ubi sancivit Deus, ut *corpus & sanguis* Christi in S. Cœna *offerantur*?

V. In omni sacrificio *propriè* dicto requiritur, ut *eo modo* offeratur, quo Deus præscripsit, ut oblatio fiat *à persona, à DEO singulariter ad hoc munus ordinatâ*, ut fiat eâ *intentione, eoq; fine, quem* Deus definivit: At de sacrificio Missatico nihil tale Deus præscripsit, vel quoad *formam* ejusdem, vel quoad *personam offerentem*, vel *quoad finem*. E.

VI. Ad omne sacrificiū *propriè* dictum & *externum* requiritur, ut *hostia ipsa s. victima mutationē vel destructionem aliquā* subeat, quemadmodū ex *Inductione omnium sacrificiorū divinitò præceptorum* manifestū est. Unde *oblationes*, in quibꝰ nulla mutatio, aut destructio facta est, minimè *sacrificia* dici potuerunt: Obvertit quidem *Suaretzio* in part. 3. Thom. disp. 13. sect. 5. *necessariū non esse, ut mutatio in sacrificio sit destructiva, sufficiat*

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0197
Mecklenburg Vorpommern

sufficere, ut circa eam aliquid fiat sacrum: sed ita etiam *Sacerdos ipse*, ut & *templum* sacrificaretur; quandoquidem *circa illa aliquid fiat sacrum*, cum consecrantur; proindè rectiq, non *moralem* solùm, sed & *Physicam mutationem* requiri ad sacrificium, *Card. Alanq* l. 2. de Euch. c. 3. notat, & per hoc requisitum *differre sacrificium à simplici oblatione. Nec enim*, inquit, *nisi aliqua mutatio interveniat in creatura Deo oblata erit sacrificiũ propriè dictum, sic sacrificia non erant primitiæ, decimæ, primogeniti religiosæ personæ, atq; innumera, quæ in lege Deo consecrabantur: nec aliud discrimen excogitari potest, quam quod dona oblata maneant integra in sua propria specie; quæ autem sacrificantur non item, sed fere in alias species transeunt, cũ vel mactata, vel contusa, vel frixa, vel alia aliqua sacerdotali actione prorsus confecta sint. Id constat ex omnibus Scripturæ locis, in quibq agitur de sacrificiorum ritibq, Exod. 29, Lev. 1, 2 3.* Vid. & *Corn. à Lapide* in Proœm. Leitici c. 1. *Bell.* l. 1. de Missa c. 2. *sacrificium*, inquit, *præter oblationem requirit mutationem s. consumptionem rei, quæ offertur.* Item, *ad verum sacrificiũ requiritur, ut id, quod Deo offertur, sacrificio planè destruatur, desinat esse id, quod erat:* Et c. 27. *Verũ & reale sacrificium veram & realẽ mortem aut destructionem rei immolatæ desiderat Becanq* in man. l. 1. c. 10. n. 1. *formã ipsam sacrificii* ponit *in destructione vel mutatione rei oblatæ:* At in sacrificio Missatico nulla intervenit mutatio vel destructio hostiæ: Fingũt quidem *panem & vinum transsubstantiari: sed panis & vinum* non sunt *hostia* vel *victima in Missatico*, sed potiq *corpq & sanguis Christi*, juxta Papisticam opinionem. *Cassalii* sententiam specialem quod *panis & vinum sacrificium* sint, alii *improbabilissimam* dicunt, ut videre est apud *Pesantium* in 3. part. 1. Thom. qu. 83. art. 6. disp. 2, Et *Bell.* l. 1 de Missâ c. 27. *Corpus* verò & *sanguis christi* nec destructioni, nec mutationi ulli subjiciuntur in Missa, imò nec subjici possunt. *Rom. 6. 9.* Num corpus Christi? toties veram & realem mortem subit, quoties Missa celebratur! Excipit quidem *Bell. per Consecrationem corpus christi accipere formam cibi, cibum autem ad comestionem, & per hoc ad mutationem & destructionem ordinari*, l. 1. de

Missa

Missâc. 27. Verum enim verò *corpus Christi*, fatente ipso *Bellarmino, nullam in se patitur læsionem, neq; esse suum reale amittit, cum manducatur*, ideoq; *nulla hic datur realis & externa mutatio & destructio*; Etrespondet Bellarmino *Joh. Malderg* Episcopus Antwerpiensis tract.10.de Justitia & Jure cap. 3. *parùm referre, quod in formâ cibi exhibeatur corpus Christi, quia destinatio ad comestionem nõ est ipsa destructio, sed destinatio potius ad destructionem.* Proinde statuit Malderus, *substantialiter mutationem sacrificii Missæ in eo potissimùm sitam esse, quod Christus, qui naturaliter homo vivus est, cibo potuiq; inidoneus, nisi occidatur in Sacramento, quasi iterum mortuum accipiat esse, in quo jam tanquam occisus comedi, & sanguis ejus potari possit.* Sed quia hoc esse saltem *quasi mortuum* fatetur ipse *Malderus*, utiq; etiam *quasi sacrificium* hic solum erit; neq; potest illa occisio aliter intelligi, nisi tantùm *significativè & repræsentativè.* Quocircà non sacrificium, sed *sacrificii repræsentatio* hic fiet. Si *vera & realis est immutatio*, non tantùm *significatio passionis & mortis Christi*, utiq; corpus Christi glorioſum *reali immutationi* adhuc obnoxium statuetur, quod *impium & absurdum* est. Quid, quod Christus corpus suum *comedendum* quidem præbeat, sed non *occidendum, aut quasi occidendum* in S. Cœna; sed id, quod traditum semel in mortem, exhibetur non occidendum iterum, sed *manducandum.* Et in quonam tandem consistet illa *quasi occisio?* Num in *consecratione?* At hoc negat *Malderus* ipse: an verò in *exhibitione ad manducandum?* at quis dicat *exhibitionem* illam *occisionem?*

VII. Si Christus *semel* tantùm se obtulit ad exhaurienda peccata, nec est nisi unica tantùm oblatio Christi semel facta, utiq; Christo quotidiè non offertur & sacrificatur in Missâ. Sed verum est prio. *Heb.6.26.27.c.9.28.c.10,10.12 41.* Ubi præprimis observandum, quod in eo opponatur *sacrificium N.T.* sacrificiis V.T. quod in N.T. sacrificium externũ propriè dictum non sit, nisi *unicũ semel* peractũ, minimèq; iterandũ: in V.T. sacrificia plura fuere sæpio & quotidiè iteranda v. 11.12.

IIX. Si non est nisi *unicus* tantùm *Sacerdos* propriè dictus in N. T. nimirum Christus, utiq; *Ministri Christi* in N. T. non sunt Sacerdotes *propriè dicti*, adeoq; nec sacrificium propriè dictum offerunt. At non est nisi unicus tantum Sacerdos in N.T. nempè solus Christus, uti nullus etiam alius Sacerdos *præfiguratus est in V.T. Heb. 5, 5. 6. c. 7. 23. c. 9. 13.* E.

IX. Si V.T. sacrificia *præfigurarunt* sacrificium propitiatorium unicè, prout in *arâ crucis* offerri debuit, utiq; nulla alia oblatio sacrificii Christi in N. T. statuenda est, quàm quæ in arâ crucis facta est : At verum prius, ut ex *Esa. 53. Heb. 7. 9. & 10. cap. Eph. 5. 2. 1. Pet. 2. 23. &c.* constat. E.

X. Si in Missâ sacrificium peragitur, & Christus sacrificatur, necessum est, *quotidiè Christum pro peccatis nostris satisfacere*, quia posito sacrificio Christi ponitur ipsa satisfactio pro peccatis. At consequens falsum, *Heb. 9. 26.* E. & antecedens.

XI. Quicquid pertinuit ad *pædagegiam legis*, & *ad umbras V. T.* illud non debuit amplius durare, quam usq; ad tempus correctionis, usq; ad exhibitum Christum, per cujo unicum sacrificiũ omnia illa sunt abrogata: At *sacrificia externa* pertinuere ad pœdagogiã legis &c. ut & docetur *Heb. 9. 10. cap.* E.

XII. Accedit, quod *nullus actus* sit, qui *Missam formaliter* constituat, *sacrificium*: Mirum in modum hic torquent sese *Pontificii: Pesantius* quinq; producit opiniones: *Azorius* tom. 1. l. 10. Inst. c. 19. *septem* recenset sententias, *in quonam consistat essentialis ratio sacrificii: Tapperus, Alanus, Cassalus in solâ consecratione* eam constituunt: *Eccius, Fisherus*, ut & *Clichtoveus in Consecratione, Oblatione: Dominicus à Soto in consecratione, Oblatione, & Consumptione*. Quibus *Melchior Cano* quartum addit, nimirum *fractionem*: *Didaco* Nugno, cum nuspiam sedem figere posset, in *Individuo quodam vago* eam collocavit: *Bellarm.* dicit eam in *tribus* consistere; *in conversione, in oblatione*, qua in *altare collocatur, & ordinatione per Consecrationem ad veram & realem mutationem*; At quod *ordinatio ad sacrificium* minimè sufficiat, anteà è *Maldero* ostendimus; In-

Con-

Conversione verò non esse sitam sacrificii rationem *Vasquetz* docet tom.3.in part.3.Tho.disp.122.c.6.n.5.tùm quod ita *non tàm Christus, quàm panis & vinum offerantur in sacrificium*, tùm quod *mutatio rei, quæ in sacrificium offertur, requiratur sensibilis*. Comminiscitur autem *Vasquetz* novam & inauditam sacrificii rationem, quò possit τῇ ἐκθέσει δυλεύειν, quod *Christo, quia realiter præsens est in Eucharistiâ, in figura & similitudine dicatur occidi, quia in commemoratione mortis Christi ipsa res, quæ fit commemoratio, signum sit, continens rem ipsam, cujus mortis sit commemoratio* loc. cit. c. 8. At quis vel è Pontificiis ipsis credit rem illam, quæ nullô modò in se mutatur, etsi præsens sit verè & propriè, in sacrificium offerri ob repræsentationẽ mortis præteritæ ejusdem illius rei, cum ad *sacrificii essentiam* illius *rei oblatæ mutationẽ* ipse *Vasquetz* requirat? Et quomodo per Christi *vivi ac glorioſi præsentiam in Eucharistia significatur, Deum esse autorem vitæ & mortis*, quâ in significatione *sacrificii essentiam* ineptè constituit *Vasquetz*. Cum ergò Pontificii, nec tota quidem eorum concilia edisserere possint, *in quonam consistat id, quod formaliter Missæ facit sacrificium*, quomodo possunt certâ fide adserere verè & propriè dictum sacrificium esse in suâ Missâ?

XIII. Sed & perabsurda est illa Concilii Trid. definitio, quod *sacrificium Missæ* idem sit *cum sacrificio crucis*, cum hoc fuerit *cruentum*, illud verò *incruentum* esse statuatur; nũ autem oblatio *incruenta*, in quâ nec minima sangvinis guttula effunditur, eadem est *cum cruenta*? Ut taceam, quomodo incruentum istud sacrificium consistere possit, quandoquidẽ fingunt, se etiam in Missâ offerre sangvinem: Ubi enim *sangvis* offertur, ibi utique est *cruenta oblatio*.

XIV. Quid quod variis *abominationibꝰ, impietatibꝰ, & blasphemiis* Missa, ejꝰdemq; *Canon* scateat: Præterquã enim, quod Christum Pontificẽ unicum N.T. insigni afficiat contumelia, mortemq; ejus & beneficia indè ad nos redundantia obfuscet; Impiè in eâ invocatur Deꝰ, ut *Christum oblatum pro hostia acceptet, eiq; benedicat*: quasi homo impurus suâ intercessione

ne efficiat, ut Deus Pater benedicat filio suo! *Redemetionm* etiam *animarum & spem salutis* canon non nisi blasphemè assignat *oblationib9 illis factis ad altare*. Offerunt Deo panem, quidem nondum consecratum, & volunt tamen *placari pane isto oblato Deum, & virtute oblationis istius erui nos ab æternâ damnatione, & in electorũ grege numerari*, annon hæc in sacrificium crucis Christi maxime blasphema? Addunt deinde in Canone missatico: *Quam oblationem tu Deus cum omnibus, quæ sumus, benedictam, ratam, acceptabilemq; facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat Filii tui*: annon verò iterùm summè blasphemum, intercessione sacrificuli hostiam h.e. panem & vinum converti in corp9 & sanguinem Christi (quod tamẽ per modum *veneficorum & incantatricum* fieri *à sacrificulis Biel* docuit sect. 4. super Can. Missæ) Petitur insuper, ut *Deo suprà hoc sacrificium (corpus nempè Filii sui) propitio ac sereno vultu respicere, idq; acceptum habere dignetur, sicut munera Abelis & Abrahæ*. Siccine igitur Sacrificuli Misifici erunt pro Christo *mediatores*, vel *Intercessores apud Deum*? Siccinè eo loco saltem habendum erit *sacrificium Christi*, quo *aut ovis, aut vitula Abelis, & Abrahami*? Supplices denique rogant Deum, ut *perferri jubeat munera hæc per S. Angeli manus in sublime altare suum in conspectum majestatis suæ*. Hem miserum Papistarũ Christum, qui angelorum ministerio indies indigeat, ut in conspectum divinæ majestatis deportetur!

XV. Addimus tandem suffragia *Thomæ* part. 3. qu. 83. art. 1. qui fatetur, quod ideô dicatur *Missa immolatio, quia est imago quædam representativa passionis Christi*: quã sententiam omnium Scholasticorum esse, tradit *Joh. Hoffmeister9* in Harm. Fabricii fol. 412. Eadẽ est sententia *autorũ libri Interim. Gropperi* in antididagm. Colonienſ. l. 1. de Missâ c. 10. *Wicelii, Conradi Klingii* part. 1. Catech. Cathol. c. 3. & *in Summâ Doct. Cathol.* tit. 10. qui statuunt, quod *Missa sacrificiũ* dicatur, *quia imago est, & recordatio, ac repræsentatio Christi sacrificii in cruce peracti*. quã sententiam plurib9 exsequitur *Joh. Fer9* l. 4. in Matt. c. 25. *Joh. Schopperus* Concion. in Epistolam Nicolai p. 35. *Cassander* in

Conſ.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0202
Mecklenburg Vorpommern

Conf. art. 24. Similia deniq; habentur etiam in ipso *Jure Canonico, multi secular.* caus. 1. qu. 1. c. *hoc est, quod dicimus dist. 2. de Consecr.* ut & c. *semel Christus, distinct. eadem. Episcopus Veglienfis* rationibus adductis, in Conc. Trident. negavit *primam Cœnæ administrationem fuisse sacrificium*, quod & *Archi-Episcopus Granatensis* inficiatus est. Vid. *Petr. Suav.* H.C.Tr. p. 624. Quid quod, cum decretum de Missâ recitatum est in Concilio, illi eâ parte, quâ asseruit, *Christum seipsum obtulisse in Cœna*, ab Episcopis tribus & viginti reclamatum fuisse, idem Historiæ Conc. Trident. Conditor perhibeat. p. 646.

CONTROVERSIA II.

An Missa sacrificium sit propitiatorium?

Concil. Trid. sess. 22. can. 3. anathema dicit illis, *qui ajunt Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii Christi in cruce peracti, non autem sacrificium propitiatorium:* Et cum cap. 2. ejusdem sess. definiatur, *crimen, & peccata etiam ingentia hoc sacrificium dimittere*, colligit indè *Bell.* l. 2. de Miss. c. 1. *aperte docuisse Synodum Tridentinam, sacrificium Missæ non solum propitiatorium esse pro pœnis, sed etiam pro culpis, non solum pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus, atq; adeo mortalibus.*

Nos autem prorsus negamus, *Missam vel Eucharistiam esse sacrificium propitiatorium.*

I. Quia Missa non est sacrificiū, ut *præcedenti controversia* ostensum, ideoq; nec censeri potest sacrificiū propitiatorium.

II. Quia in V. T. prædictum tantùm fuit *hocce sacrificiū propitiatoriū*, quod Christus in ara crucis oblatus sit pro peccatis nostris, omniaq; peccata nostra hoc sacrificio suo expiaturus: quādoquidē *susceptis in sese omnibus omniū peccatis, animā suā ponere debuit in sacrificiū, Esa. 53. 10. Conf. 2. Cor. 5. 25 1. P. 2. 22.*

II. Quia sacrificia *propitiatoria* V. T. nō nisi unicum sacrificium præfiguraruntN. T nimirum sacrificium *expiatorium* Christi, uti *in Epistola ad Hebr.* passim docetur: *Sacrificium aliquod propitiatorium Missæ* præfiguratum esse in V. T. sacrificiis ἐλαττικοῖς, nunquam demonstrabitur, Conf. *Apacalyps.* 13. 8.

IV. Quia Scriptura N. T. non agnoscit, nisi *unicum* tantum *propitiatorium sacrificium*, 2. *Cor.* 5. 21. 1. *Pet.* 2. 22. *Eph.* 5. 2. *Heb.* 6. 26. 27. c. 9. 12. 25. 26. c. 10. 2. 12. 14. *Christus una oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur*: Quod si ergô unâ oblatione consummati sunt omnes, qui sanctificantur, utique non sunt plures introducendæ oblationes, ut sanctificemur: At verum prius E. & posterius.

V. Si una oblatione peccata multorum sublata sunt, utique præter illam unam oblationem non dantur aliæ, quibus peccata tollantur: At *una oblatione Christi, in ara crucis facta, multorum sublata sunt peccata*, *Heb.* 9. 28. c. 7. 27. E.

VI. Si propitiatio & expiatio peccatorum in arâ crucis sanguine Christi facta, longe perfectissima est, sufficientissima, utiq; nullus relinquitur locus sacrificio alicui propitiatorio Missatico. At verum est prius. *Esa.* 53. *Ebr.* 1. 4. *cap.* 10. 14. E.

VII. Ubi peccatorum est remissio, ibi jam non amplius est oblatio pro peccato, Heb. 10. 18. At sanguine Christi effuso in arâ crucis, facta est *remissio peccatorum*, *Eph.* 1. 7. 2. *Cor.* 5. 19. E. non amplius est oblatio pro peccato, adeoque nec in *Missa* aliqua fit oblatio.

IIX. In *omni sacrificio propitiatorio* necesse est, ut peccata victimæ imputentur, eaq; pro vita eorum, quorum fit propitiatio, in mortem tradatur, adeoq; requiritur tùm *susceptio culpæ*, tùm *luitio pœnæ ad sacrificium propitiatorium*: At hostiæ in Missa neq; susceptio culpæ, neq; pœnæ luitio convenit, ut est in propatulo. E. hostia in Missâ non est sacrificium propitiatorium.

IX. Ubi *nulla fit sanguinis effusio, ibi nulla propitiatio, vel remissio fit peccatorum*, *Hebr.* 9. 22. At in sacrificio *Missatico* nulla fit sanguinis effusio. E.

X. Nullum sacrificium, quod continuè iteratur, potest esse propitiatorium pro peccatis, *Hebr.* 10. 1. 2. 11. At Missaticum sacrificium iteratur continuò E.

XI. Si Missa sacrificiũ est propitiatorium, sequitur *quotidiè*

pro

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0204
Mecklenburg Vorpommern

pro peccatis nostris satisfieri: At Consequens est falsum, *Rom. 8. 3. Heb. 9. 26.* E.

XII. Quicquid institutum est in *commemorationem sacrificii propitiatorii mortis Christi,* illud non est sacrificium propitiatorium. At S. Cœna instituta est in commemorationem *Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. 25. 26.*

XIII. Ubi applicatio tantùm fit expiationis per mortem Christi factæ, ibi non fit nova expiatio vel novum sacrificium expiatorium. At in S. Cœnâ *applicatio tantùm fit expiationis per mortẽ Christi factæ,* quippe quæ ex parte Dei sit per *verbũ & Sacramẽta, quibus Eucharistiam* accenseri in conf. est. E.

XIV. Accedunt hisce *testimonia: Gropperi in Antididagm. Colon. Missam appellari propitiatorium sacrificium, non quod tale revera sit, sed quod sit imago unici sacrificii propitiatorii, semel in cruce oblati: In formula Inter Religionis* dicitur, *Missam à pontificiis non statui sacrificium propitiatorium, sed duntaxat commemorativum, Eucharisticum, & applicatorium. Reihingius* in Enchir. Cathol. contrà D. Höe p. 775. *Missam appellat sacrificium applicativè propitiatoriũ. Patzmanno* l. 1. Hodeg. negat, *Missam esse sacrificiũ propitiatorium adferens, quod tantũ sit sacrificium commonefactorium cruenti sacrificii, ejusq; fructũ in nos derivans. Cassand.* art. 24. Conf. ait: *propitiatoriũ dici posse, non quod sit efficiens propitiationem, quod sacrificio crucis proprium est, sed quia eam jã factam impetret, quomodo oratio, cujus hoc sacrificiũ species est, propitiatoria dici potest:* Adde quod in ipso Conc. Trid. *Sidonius* defenderit sacrificium Missæ *tantum esse commemorativum, Eucharisticum, & applicativum, non autẽ propitiatorium,* quodq; *Principes Catholici* in Responsione ad A. C. art. de Missâ docuerint, *Missam non delere peccata, sed pœnã pro peccato debitam,* id quod è Pontificiis quosdã statuisse, agnoscit quoq; *Gregor. de Val.* l. 1. de Miss. c. 5. Item *docuisse quosdã, valere quidem ad remissionem culparum, sed tantùm venialium:* Quin & pro *culparũ venialiũ expiatione Missam immediatè se solà efficacẽ nõ esse profitetur Henricus Henriquetz* l. 9. moral. c. 13. laudatq; ejusdem

dem sententiæ adsertores, *Sotum, Ledesman, Canum, Durandum, Cordubam, Ayalam, Lindanum, Cassalium, Vigverium &c.* Tacemus dissensiones Papistarum de *Missis privatis*, de quibus vid. *Hoffmeist.* de Miss. p. 179. & *Cassand.* l. c.

CONTROVERSIA III.

An pro defunctis in Christo ritè offeratur Missa?

Concil. Trid. definivit Sess. 6. c. 2. quod *sacrificium non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed etiam pro defunctis in Christo nondum plenè purgatis ritè offeratur*; Conf. *Bell.* l. 2. de Miss. c. 7. Quanquam verò non negemus, apud Veteres *memoriam martyrum in S. Cœnæ administratione celebratam fuisse, testimonii, affectus, solatii, & incitamenti causâ*, ut videre est apud *Eusebium* l. 4. hist. Eccles. c. 15. *Epiphanium* in hæresi Aërei &c. nõ tamen admittimus pro *liberatione defunctorũ è Purgatorio Missas ritè offerri.*

I. Quia ostensum jã fuit, *Missam non esse sacrificiũ*, proindè nec pro vivis, nec *pro defunctis* offerri debet, ceu sacrificium.

II. Quia missa nullatenus est propitiatorium sacrificium, sive *pro pœnis* sive *pro culpis*; quocircà nec pro defunctorum pœnis propitiatio ei it.

III. Quia nulli sunt *defuncti in Christo, nondum plenè purgati*, E. pro iis non est offerendum: *Nullus* etiam post *remissam culpam remanet pœnæ reatꝰ, ut sect. 3. q. 12.* demonstratum. Non ergò opus est oblatione pro eodem.

IV. Quia nullum est Purgatoriũ, in quo animæ post hanc vitam purgentur, ut *præced. sect. controv. 14.* ostensum: non ergò fieri potest oblatio pro animabꝰ è purgatorio liberandis.

V. Quia *Eucharistia* instituta est *pro vivis*, qui possunt *accipere, manducare, bibere*, non autem pro *defunctis*.

VI Quia *oblatio illa pro defunctis* nullo nititur mandato divino: in *Scripturis non reperiri oblationem pro defunctis*, fatetur Bellar. l. 2. de Miss. c. 2. §. ad nos; provocans ad *traditionem Apostolorum non scriptam*, quam tamen *ab Apostolis profectam* demonstrare nequit.

VII.

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0206
Mecklenburg Vorpommern

VII. Quia nullo *exemplo probato Apoſtolorum, Eccleſiæ Apoſtolica*, vel *ſubſequæ primitivæ* doceri poteſt, *Euchariſtiam pro defunctis celebratam fuiſſe:* Quinimò fatetur *Platina* in vitâ Xiſti I. quod ille *mortuorum commemorationem* invenerit; & *Martinus Polonus* in Chron. quod *Pelagius inſtituerit primùm, ut memoria defunctorum in Miſſâ fieret:* Ut taceam, quod *Polyd. Vergilius* l. 6. de Invent. c. 9. agnoſcat *orationem pro defunctis à Gentibus originem trahere.*

VIII. Quia *nulla* habetur in Scripturis *promiſſio*, quod *Euchariſtiæ fructus ad defunctos ſeſe extendat*, quin potius remiſſio peccatorum in hâc tantùm vitâ contingit.

IX. Quibus accedit, quod *Scotus* l. 4. ſent. diſt. 19. qv. 2. art. 4. fateatur, *mortuos non amplius eſſe in poteſtate Eccleſiæ, adeoq; ab ea juvari non poſſe*, quem allegat *Azorius* l. 10. inſtit. c. 2. q. 9. quodque B. *Rhenanus* ad lib. Tertulliani de martyr. p. 18. *oblationes precum & gratulatorias & Euchariſticas apud veteres quidem fuiſſe, non autem propitiatorias & liberatorias*; Conf. *Caſſand.* in Conſult. cap. de iteratione p. 1003.

CONTROVERSIA IV.

Utrum ſancti defuncti religiosè ſint invocandi?

Conc. Trid. Seſſ. 25. *doceri* vult, *bonum atq; utile eſſe, Sanctos una cum Chriſto regnantes ſuppliciter invocare & ob beneficia impetranda à Deo per filium ejꝰ ad illorum orationes, opem, auxiliumq; confugere:* Et *impiè ſentire cenſet illos, qui ſtultum eſſe ſtatuunt; Sanctis in Cœlo regnantibus voce vel mente ſupplicare.* Quamvis verò proteſtari conſueverint Papiſtæ, ſeſe *non invocare Sanctos*, ut bonorum corporalium & ſpiritualium *datores*, ſed ut *impetratores:* proteſtationi tamen contrariæ ſunt preces Romano. Cathol. in *Roſariis, Antidotariis, Antiphonis, Collectis, Curſibus Horarius, Hortulo Animæ, Pſalterio Mariæ à Sixto IV. & Innocentio IIX.* confirmato, à *Sorboniſtis* approbato. A. 1600. & ab *Ingolſtadienſibus* cum *cenſura & recommendatione recuſo* ac ſæpius *in Gallia, Italia, ac Germania impreſſo*, in ipſis etiam *Miſſalibus & Breviariis Romanis Sixti V. & Clemen-*

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0207
Mecklenburg Vorpommern

tis VIII. & id genus aliis libellis usu publico frequentatis: Ubi *bonorum etiam spiritualium elargitionem, peccatorum remissionem, reconciliationem cum Deo, liberationem à potestate Satanæ, salutem & vitam æternam* à Sanctis expetunt iis verbis, quæ secundum ordinariam significationem nullum aliũ legentibus conceptum ingenerare possunt, quàm quod invocentur Sancti, ut eorundem *datores*, nec aliter ab iis accipiuntur, qui communiter preces illas recitant, quicquid sit de doctiorum quorundam conatu, quo eadem emollire, & in sensum saniorem deflectere allaborant. Qualis est illa *communis Oratio ad Mariam in Breviario: Tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe. Et in Psalterio Mariæ Psal. 113. in exitu animæ meæ de hoc mundo occurre illi, & suscipe illam, esto illi scala ad regnum cælorum ad Paradisum:* Quin & *eò ventum est*, dicente Cassand. in Consult. art. 21. *ut Christus jam in cœlo regnans matri subjiciatur, quomodo in nonnullis Ecclesiis canitur; Ora Patrem & jube Filium. Item, O felix puerpera, nostra pians scelera, jure matris impera Redemptori*; quæ preces habentur in *Missa ad usum Ecclesiæ Tullensis.* Qualia plurima ex *Mariali Bernhardini de Bustis, ex sermonibus & Mariali Jacobi de Voragine, Jandensi Archiepiscopi*, quos *Rudolphus Clutzius* An. 1616. denuo *Moguntiæ* divulgavit, è sermonibus M. Joh. Herold. vel Discipuli, An. 1612. itidem denuò Moguntiæ editis adduci possent, de quibus videatur *D. D. Hulsem.* in Man. A. C. disp. 18. p. 864. Neq; tacenda hic nupera blasphema depravatio Orationis Dominicæ cujusdam M. Friderici Dörffel Parochi in Auscha in suo Anti-Dörfelio refutato, qui prodijt Ann. 1653. cum approbatione D. Sebastiani Dolsena assessor. Consist. Pragæ apud S. Benedictum & Cramel. Officialis, & dedicatione Prioris & conventus Crucigerorum cum Rubeâ stellâ: Mutter unser/die du wohnest im Himel/O Maria! Gepreiset werde du/und dein Nahme von allen Geschlechtern der Menschen/zukommen uns deine Tugenden und Gnaden/das Verlangen deines Hertzens geschehe/wie im Himmel/also auch auff Erden. Unser täglich

täglich Brodt Jesum erlange uns Heute/und in dem Tage unsers Absterbens durchs Sacrament/und bitte für unsre Schuld/ als wir bitten für unsern schuldigern/und lasse uns ja nicht führen in Versuchung/Sondern das Wir wegen deiner und deiner Bitte erlöset werden von allen übel und Sünden/durch Jesum Christum deinen lieben Sohn unsern HErren Amen. Conferatur & *libellus Sodalitatis*, ut & *Meditationum in Canticum: Salve Regina, Francisci Costeri Jesuita*, in quo talia plurima obvia sunt: qui etiam in *Enchiridio* c. 14. disertè profitetur, *Sanctos esse rogandos, tum ut pro nobis apud Deum intercedant, tùm ut ipsi nobis opitulentur*. Quid, quod Conc. Trid. distinctè loquatur, quod *sancti invocandi* sint non solùm ut *intercessores*, sed etiam ut *auxiliatores*, fatente *Lessio* l. 2. de Jure & Justit. c. 37. cùm decernat *confugiendum esse suppliciter ad eorum orationes, opem, & auxilium*. Accedit, quod invocentur sancti in Papatu, non ut *impetrantes solis precibus*, sed ut *exigentes pro meritis*, cum doceatur *precibus & meritis ipsorũ nos niti posse*.

Quanquam verò non usq; adeò negemus, Ecclesiam triumphantem in Cœlis orare pro Ecclesia Militante in terris, in *genere, tametsi nullum testimonium de mortuis orantibus extet in Scripturis*, non tamen concedimus, *sanctos esse invocandos, adorandos, Jejuniis, Feriis, Missis, Oblationibus, Templorum, altarium, cultuum fundationibus & c. honorandos, ut Patronos & intercessores*, uti Ecclesiarum nostrarũ sententia proposita est, in *Apol. Aug. Conf.* ut & in *Art. Smalcald. Honorandos* esse non diffitemur, admittimus etiam honorem illum Sanctorum, quem *Cassand.* è *Cyrillo & Augustino* asserit, sc. *cum illos tanquam digniores conservos & laborum & certaminum, quæ pro Christo susceperunt, amplissima præmia consecutos, omni honore, & veneratione prosequimur, eorum memoriam honorificè celebramus, eorum res præclare pro Christo, ex DEI gratia, gestas magnifice prædicamus, quanquam omnis hic honor ad Deum potissimum referatur*, de quo *honoris genere Cyrillus l. 6. contra Julian.* Sanctos, *inquit, Martyres neq; Deos esse dicimus, neq; adorare consuevimus, lauda-*

laudamq; potiq; eos summis honoribq;, quod pro veritate strenuè certarint, & fidei sinceritatẽ servarint. De cultu verò sanctorũ, & quid inter sanctorũ & Dei cultũ intersit, pulchrè disserit Aug. l. 22. contra Faustum: Colimq;, inquit, Martyres eo cultu dilectionis, quo & in hac vita coluntur homines sancti, Dei quorũ cor ad passionẽ pro veritate Evangelica paratũ esse sentimq;. sed tantò illos devotiq;, quãtò securiq; post incerta omnia superata, quantò & fidetiore laude prædicamus, jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usq; peregrinantes: at illo cultu (qui Græcè λατρεία dicitur, latine verò dici non potest, cum sit quædam propria divinitati debita servitus) nec colimus, nec colendũ docemq;, nisi unum Deum. Nec verò alium admittimus cultum religiosum, à λατρεία distinctum, quem δουλείας nomine indigitant Papistæ, cum δουλεία *primæ tabulæ* nihil aliud sit quàm λατρεία, *qua Deo est serviendũ Actor. 20. 18. 19. Matth. 4. 1. Et 6. 24. Rom. 7. 6. 25. Et 14. 13. Col. 3. 14. juxta secundam tabulam verò* δουλείαν *officiosam* nonnisi erga superstites exhibere possumus *Gal. 5. 13.* Interim δουλείαν *memorialem* defunctis exhibere non abnuimq;, sed ea toto genere est distincta *à cultu religioso invocationis aut adorationis*, qualem Papistæ sanctis deferunt, quem prorsus reprobamus.

I. *Quia destituitur mandato divino.* Omnis quippe invocatio Deo grata niti debet mandato divino, quo si destituatur, ἐθελοθρησκεία erit, quæ nihil aliud est *quàm cultus, seu modq; colendi Deum sine præcepto Dei susceptus*, & damnatur à Deo *Deut. 128. 32. Et 17. 3. Psal. 106. 38. Es. 1. 12. Et 29. 13. Ezech. 20. 8. Mich. 6. 6. Zach. 7. 5. Matt. 15. 9. Marc. 9. 6. Col. 2. 23.* At fatetur Eccius ipse *explicitè non esse præceptam sanctorum invocationem in Sacris literis, in Enchir. c. 15.* Nullum de ea extare præceptũ in sacris literis, profitebantur *Deputati Pontificii* in Comitiis Aug. apud Chytræũ in Hist. A. C. p. 254. imò referunt Papistæ invocationẽ Sanctorũ inter *traditiones non scriptas Pererius, Tannerus, aliiq;. Bell. sanctos cepisse, ait, coli non tam lege aliquâ, quàm consuetudine* lib. 1. de Beatit. Sanctor. c. 8. Ipsum denique Conc. Trid. non ad Scripturam, sed ad *usum Ecclesiæ* hic provocat.

II. Quia

II. Quia *nullū* habet *promissū*, adeoq; *ex fide* institui non potest, quæ in invocatione prę primis requiritur *Marc. 11. 23. Rom. 10. 14. Jac. 1. 5.* Imo *quicquid ex fide non est, peccatū est, Rom. 14. 23.*

III. Quia *nullum exemplum* piorum è Scripturis proferri potest, qui defunctos invocarint. *In V. T. Sanctos defunctos non fuisse invocatos, utpote in Limbo adhuc existentes*, asserunt ipsi Papistæ, *Greg. de Valentia* in Apol. contra Herbrand fol. 39. *Becanus* in append. Purg. Calvin. p. 65. *Suaretz* in part. 3. Thom. Disp. 42. sect. In N. verò T. nullum pariter exemplum reperitur, ut *Eccius* loco cit. agnoscit, ut & *Cassand.* in Consult. art. 21. At omnis invocatio DEO grata exemplo sanctorum conformis esse debet, nec abhorrere à recta Ecclesiæ veræ primitivæ invocatione 2. *Cor. 4. 13. Eph. 2. 18.*

IV. Quia impingit in *honorem uni Deo proprium*, adeoque cum *idolatria* conjuncta est, quippe quę nihil aliud est, quam *translatio honoris, qui est Deo proprius, ad aliud, quod est extra Deum Exod. 20. 3. Esa. 42. 8.* ubi vetat Deus, *honorare alienos Deos*, negatque *honorem suum alteri se daturum*: per invocationem autem sanctorum *ex non Diis fiunt Dii, honorq; Dei defertur aliis extra Deum.*

V. Quia Christus *solum Deum adorandum esse, eiq; soli serviendum* docet *Matth. 4. 10.* ubi agnoscit *Maldonatus & Corn. Jansenius*, utrumque & *adorationem & servitutem* soli Deo vindicari. Qui autem solus adorandus est religiosè, is & solus invocandus est; unde & Christus *modum orandi docturus*, non alium, quam *Patrem* invocare docet *Luc. 11. 12.* quæ forma orationis *norma est & esse debet precationis nostræ*, eoque nomine *lex orationis Tertulliano* dicitur.

VI. Quia sanctis non conveniunt προσκείμενα vel *requisita objecti adorationis, vel invocationis.* Is, qui invocatur, debet esse 1. *Omniscius* & καρδιογνώστης, ut preces *exaudire queat Psal. 18. 10. Matt. 6. 6.* II. *Omnipotens, ut opem ferre possit Exod. 13. 2. Ps. 19. 2. Ps. 115. 3. Ps. 146. 3.* III. *Omnipræsens*, ut nobis adesse & succurrere queat *Deut. 4. 7. Ps. 91. 15. Ps. 145. 18. Esa. 55. 6.* At Sancti defuncti non sunt omniscii aut καρδιογνώσται *1. Reg. 8. 39. 2. Paralip. 6. 30. Joh.*

14. 21, Esa. 63.16. Apoc. 6.12. nec omnipotentes sunt Gen. 17.1. 2. Cor. 5.1. 8. E. Sancti defuncti invocari non debent.

VII. Quia solo Christus invocando est, ut *Mediator & intercessor noster apud Deum*, inq; ejusdem solio nomine orandum est, *Joh.14.13.c.16.23.1. Tim.2.5.1. Joh.2.2. Heb.7.25.c.9.24.*

IIX. Quia sancti nec *pro se* quicquam *apud Deum merentur*, nec aliis quicquam mereri possunt, ideoq; illis tribuendum non est, quod *virtute meritorum suorũ interpellent pro nobis apud Deum*, nec ea propter precibo rogandi & invocandi sunt.

IX. Ille *solo* est invocando religiosè, qui solo nobis confert bona & dona sive *corporalia*, sive *spiritualia*, quæ precibo expetimo: At *Sancti* eadem non conferunt, quod pleriq; è Pontificiis fatentur; unde protestantur, *sese minimè sanctos invocare, ut autores & datores bonorum spiritualium, vel corporalium. Cassand.* in Consult. art. *2.1. Sanctos Dei*, inquit, *non ut largitores bonorum, sed ut condeprecatores & impetratores appellamo. Bell.* l. 1. de Beat. Sanct. c. 17. *non licet*, inquit, *à Sanctis petere, ut nobis tanquam autores divinorum beneficiorum, gloriam vel gratiam, aliaq; ad beatitudinem media concedant*, concluditque, *nihil debere nos à sanctis petere, nisi ut à Deo impetrent, qua nobis sunt utilia.* Quî ergò fit, quod in Papatu totâ die Sancti non solum ut *Impetratores*, sed & *ut datores bonorum spiritualium* pariter & *corporalium* invocentur? Qui fit, quod *libelli publica authoritate sanciti*, eaq; *Papali*, proponant ejusmodi preces, quibus Sancti, ut *autores bonorum, compellandi & invocandi sint?*

X. Si *Angeli* non sunt religiosè adorandi, vel invocandi, *eò quod conservi nostri sunt*, multò mino sancti defuncti religiose invocandi sunt; qui itidem nostri conservi sunt: *Ratio* est, quia Angeli non solum *nobiliores* sunt, sed & *nobis adsunt Ps.* 91.11. *Ps.*34.8. *Heb.*1.14. precesq; nostras ad Deum perferunt, & de earum exauditione nobis referunt. *Tob.*12.12. *Dan.*9.23. *cap.*12. 12. *Luc.* 11.13. *Act.* 10.4. *Eccius* in Enchir. cap.15. *Quæ est ratio*, inquit, de Angelis, eadem & de *Sanctis in Cœlis*; At verum prio *Col.* 2.18. *Apoc.*19.10.c.22.8.9. & fatetur ipse Bell.l.1.

de

de Beat. Sanct. cap. 14. *postquam Deus homo factus est, & omnes Angeli hominem in Christo ceperunt adorare, noluisse ipsos ab hominibus adorari, & rectè adorari recusasse.*

XI. Quæ invocatio fit *sine spe & fructu exauditionis*, ea probari non potest, *Marc. 11. 23. Jac. 1. 5.* At invocatio Sanctorum defunctorum talis est, quia *dirigitur ad ignorantes more Baalitarum 1. Reg. 18. 39.* Abraham nescit nos & *Israel ignorat nos Esa. 63. 16.* de quo *August.* de cura Mort. c. 12. *Si tanti Patriarchæ, quid ergâ populum ex his procreatum ageretur, ignoraverint, quomodo mortui vivorum rebus atq; actibus cognoscendis, adjuvandisq; miscentur?* Conf. c. *qui divina, ut & c. fatendum est caus. 13. q. 2.*

XII. Accedit, quod invocatio illa Sanctorum multis modis lubrica & incerta sit, quod sæpè invocentur ij, de *quibus, an unquam fuerint in vivis, non satis liquet, ut Christophorus Christi portator, Georg. Draconis interfector & c. aut num in Cœlo sint, an verò torqueantur in gehenna, cum qui ab uno Pontifice in Cœlitum numerum recipitur, quandoq; ab alio excludatur.*

XIII. Tandem subjungimus suffragia *Synodi Parisiensis* sub *Lud. Pio & Lothario* habitæ, qui vetavit sanctos adorare, *authoritate Lactantii, Fulgentii, & Ambrosii, eosq; sola Charitate, non autem servitute colendos* sancivit. *Claudii Tauronensis & Henrici Tolosani*, quos Sanctorum invocationem impugnasse fatetur *Coccius* tom. 1. thes. art. 6. f. 5. *Tauleri, Erasmi, Lud. Vivis Wicelii, Cassandri & c. Bell.* ipse l. 1. de Beat. S. c. 17. *nihil*, inquit, *à Sanctis petere possumus, nisi ut intercedant apud Deum, quo nobis Christi meritum applicetur & c.* Quod & *Concilio Trid. & praxi Papisticæ* opponendum est. *Synodus Provincialis Sebastiani Electoris Moguntini* Anno 1549. c. 45. definivit. *Cœlites quidem esse honorandos, sed civili & dilectionis cultu, non secus atq; viros Sanctos in hac vita suo merito colimus*, vid *P. Suavis* l. 3. Hist. Conc. Trid. p. 344. nec aliter exponebant mentem suam Rom. Catholici *in nupero Colloquio Thorun.* dum profitebantur tantum, *Sanctos defunctos non minus quam Sanctos in terris invo-*

invocari viventes, & coli à nobis citra ullam idololatriam posse: Sancti quippe viventes non invocantur religiosè, imò cultum religiosum declinant & improbant *Act. 10, 25, 26. c. 14. 13.*

CONTROVERSIA V.

Utrùm Sanctorum reliquiæ religioso cultu sint prosequendæ

Quod ad *reliquias Sanctorum, Conc. Trid. decretis de Sanct. reliquiis, corpora Sanctorum à fidelibus esse veneranda decernit, cum per ea multa beneficia à Deo hominibo præstentur.* Ambiguè *Bell.* l. 2. de Reliq. c. 2. *nos reliquias honoramus & osculamur, tanquàm sacra pignora Patronorum nostrorum.* Sed nec ita verus controversiæ status exprimitur. *Stapletonus* in Prompt. *Cathol.* p. 1 p. 292. *Eodem sane cultu,* inquit, *eâdemq; veneratione reliquias relativè consideratas prosequimur, qua ipsos Sanctos;* quod profitetur etiam Joh. de *Turre cremata in Festo Invent. S. Crucis qu. 3.* praxisq; ipsorum confirmat: unde *monstrantur populo reliquiæ religiosæ venerationis causâ, peregrinationes ipsarum gratia instituuntur, patrocinium Sanctorum coram illis imploratur, candelis accensis, corollis, aliisq; ornamentis cultûs causa condecorantur,* quin imò *per reliquias sanctorum juramenta instituuntur,* ut videre est *c. Tibi Domino, dist. 63. & c. de parentela n. 5. caus. 25. q. 6.* Adscribitur quoque reliquiis *vis sanctificandi per contactum, Bellarm.* l. c. cap. 30. *Singularis & meritorius* statuitur *cultus, si populus opis impetrandæ causa ostentatas illas reliquias tangat, aut osculetur, aut spectet,* uti definitum fuit in *Conc. Trid. Sess. 9. de Reliq. sanct.*

Quanquam verò *corpora, ossa, & membra Sanctorum defunctorũ, verasq; reliquias nõ irreverenter tractanda, sed honore debito afficienda* esse agnoscamus, *cultum* tamen illum *religiosum* reliquiis deferendum esse minimè admittimus, eumque reprobamus.

I. Quia cultus ille reliquiarum nullo nititur *div. mandato.* At omnis cultus religiosus, qui extra mandatum div. suscipitur, mera est superstitio.

II. Quia

II. Quia nullo nititur *promisso divino*; At ubi nulla promissio, ibi frustrâ speratur auxilium & opitulatio.

III. Quia nullo nititur *Sanctorum Exemplo*, cum nuspiam legantur Sancti reliquias ita religiosè coluisse in Scripturis, quin & *Ecclesiæ primitivæ ignotus sit ejusmodi cultus*; unde *Bellarm.* non potuit antiquius reperire Concilium pro eodem, quam *NICENUM circa ann. 451.*

IV. Quia contrarius est *S. Scripturæ*, quæ docet corpora Sanctorum esse terræ mandanda, non *religioso cultui* asservanda, *Gen. 3. 39. Es. 26. 20. c. 57. 2. Syr. 50. 1.*

V. Quia refragatur *exemplis Sanctorum*, qui leguntur Sanctos prædecessores reverenter sepeliisse, non autem reliquias ipsorum asservasse, & *religiosè coluisse*, *Gen. 23. 19. c. 25. 9. c. 35. 29. c. 50. 5. 2. Reg. 13, 11, c. 23. 13. Matth. 14. 12. Act. 8. 2.* Quid quod Deus ipse *Mosen* sepelire voluerit, ne corpus ejus occasio existeret superstitioni & cultui idolatrico *Deut. 34. 6. Jud. 9.*

VI. Quia cultus ejusmodi cum *magna superstitione* conjunctus est, ut ipsa praxis in Papatu abundè docet; quandoquidem *gratiam & virtutem quandam* adscribant *ossibus*, vel etiã *vestimentis*, quin & *instrumentis carnificum.*

VII. Quia *multis fraudibus* obnoxius est: Unde non immeritò *Joh. Boccatius* exagitat reliquias, dum *se attulisse*, ait, *ex Oriente nõnihil ex sono campanarum, quæ erant in templo Salomonis, dum habere sese aliquot capillos, qui Angelo Seraphico excidissent, cùm Francisco apparuisset, stigmata impressurus*; vid. *Petrus Paulus Vergerius* in Annot. ad Catal. hæret. tom. 1. p. 256. Exagitat eas *Erasmus* in Colloq. peregrin. religios. *de lacte Virginis B. de Cruce Domini, quæ privatim ac publicè tot locis commendatur, ut fragmenta onerariæ navis justum onus videri possint*, Vid. de his *Liber Romæ editus anno 1521. de spoliis Sanctorum* apud *Wolfium tom 2, memor. lect. p.* 233, ubi prolixè impostura & fraudes plurimæ circà reliquias deprehensæ recensentur.

IIX. Quia absonũ est *instrumentis crudelitatis cultũ religiosum deferre*; accẽsent autẽ Papistæ *reliquiis clavos lanceas, gladios,*

dios, aliaq; *instrumenta carnificum*, imò *Crucem Christi*, *ejusq; particulas inter præcipuas habent reliquias*; *Bell. l. 5. c. 2.*

IX. Addimus *suffragia*. *Synodus Francofurt. anno 764. sub Carolo M.* religiosum cultum reliquiarum improbavit; *Wicleviſtas* eidem contradixisse fatetur *Bell.* *Corn. Agrippa* rejecit itidem eundem lib. de Vanitate scientiæ & *Erasmus* in annot. super 23. Matth. nec non *Cassand.* in Conf. art. 21. *Wicelio de quæstuariis reliquiarum nugacissimis* conqueritur, ut & *Albertus Cranzius* in Hist. Saxon. aliique.

CONTROVERSIA VI.

An Sanctorum imagines religioso cultu prosequendæ sint?

DE *Imaginibus* Sanctorum *Romano-Catholici in Colloqu. Thorunienſi anno 1645.* sub generalibus solùm terminis suam proponebant sententiam; *Sacras Dei & Sanctorum imagines propter ſpiritualem (quam ad Deum & Sanctos habent) connexionem participatamq; inde excellentiam, utiliter & piè in honore & veneratione fidelium esse*, qua in parte conjungebant etiam *crucem Christi & Sanctorum reliquias*. *Conc. Trid.* sess. 25. ita definit: *Honor, quia imaginibus Christi, DEI paræ virginis, & aliorum Sanctorum exhibetur, refertur ad πρωτότυπα, quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines, quas osculamur, & coràm quibus caput aperimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur, id quod etiam ſecundæ Nicenæ Syn. decretis ſancitum esse* ait. Expressius sententiam Romanensium proponit *Card. Bell.* l. 2. de Imag. c. 21. & seqq. eas *non solum venerandas per accidens & impropriè esse, ſed etiam per ſe & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in ſe conſiderantur, non solum ut vicem gerunt exemplaris, cumq; cultum, qui per ſe propriè debetur imagini, imperfectum quidem esse, ſed analogicè & reductivè pertinere ad ſpeciem ejus cultus, qui debetur exemplari.* Quantum *ad modum loquendi, non esse quidem dicendum, præſertim in Concionibus ad populum, imagines ullas debere adorari* λατρείᾳ, *ſi verò* de re ipsâ *agatur, admitti*

posse,

posse imagines posse coli impropriè, vel per accidens eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur.

Franscic. Costerus Jesuit. in Enchir. *à Colonien sibus, Trevir en- sibus, & Moguntinus* approbato docet, *omnem honorem, qui πρωτοτύπῳ debetur, etiam exhiberi posse imaginibus. AZORIUS* l. 9. Instit. c. 6. *constantem dicit sententiam Theologorum, imaginem eodem honore & cultu honorari & coli, quo colitur id, cujus est imago.* E. *praxi* id abundè constat, quòd imagines à Papistis religiosè colantur, utpotè *dedicatione, nominis prototypi impositione, singularis Numinis præsentiæ persvasione, certorum beneficiorum exspectatione, sertorum & coronarum impositione, vestium induitione, circumgestatione, altarium erectione, templorum & delubrorum exstructione, Feriarum sacrarum celebratione, osculis, epulis, musicâ, alloquio, obsecratione, & supplicatione, lampadum accensione, votorum & juramentorũ præstatione,* quæ prolixius exequitur *Dn. Schroderus Apodixi de Imaginibus*; quodq; *Sacrificia ipsis offerantur & suffitus accendantur*; id quod nec ipse *Bell.* diffiteri potuit l. de Eccles. Triumph. c. 18.

Nos *imagines Sanctorum honorari*, & in templis collocari *memoriæ & ornatus causâ* posse, admittimus, sed *vel Dei, vel Sanctorum imagines cultu religioso affici & adorari* debere, sive *per se* sive *per accidens*, sive *directè* sive *indirectè*, *propriè vel impropriè*, prorsus negamus.

I. Quia cultus imaginum destituitur *institutione, Promissione, Commendatione, approbatione divina*, quâ de nihil prorsq; in Scripturis habetur, ideoq; ut ἐθελοθρησκεία meritò reprobatur *Deut. 18. 8. 32. Matth. 15. 9.*

II. Quia Deus prohibuit *cultum imaginum* disertis verbis. nec *per imagines coli & adorari ullatenq; voluit*, nedum *ipsas coli & adorari Imagines. Exod. 20. 22. Deut 5. 14. 16.* Unde fatentur quidam è Papistis *Imaginum cultum in V. T. simpliciter fuisse prohibitum*, quin & *usum imaginum interdictum esse* probare conatur *Vasquetzius* in part. 3. Thom. 1. disp. 104. ut & disp. 94.

III. Quia cum *Idololatria* conjunctus est; cum cultum *soli*

Deo debitum ad id transferant, quod est extrà Deum, nim. ad *Imagines, & cumprimis ad simulacra & imagines Dei*, quib9 cultum λατρείας deferendum esse *Bell.* aliiq; statuunt. Quanquam verò *improprium* hunc cultum dicant, manet tamen λατρεία cultus, etsi improprius, ideoq; ad minimum *impropriè Idololatræ, vel indirectè tales* dicendi erunt Papistæ.

IV. Quia *Imaginum cultus, ut idololatricus* à Deo damnat9 est & reprobatus in *moscholatris, Exod. 32. in Michâ, Jud. 17. &c.* tametsi illi per Imagines & in Imaginibus Deum Israëlis colebant. Ubi cumprimis observandum, quod *Cajetanus Abulensis, Aloistus, Lippomannus, ut & Joh. Ferus, in Exod. 22. c.* fateantur; *Judæos verum Deum in vitulo veneratos esse*, qui tamẽ propter idololatrias ab ipso Deo accusati sunt.

V. Quia cultus hic *ab Ethnicis & Judæis* Idololatris est profectus, qui pariter iisdem modis coluere imagines; *dedicando nomen prototypi imponendo, sertis & coronis ornando, beneficia expetendo & exspectando &c.* ut Papistæ, id quod per partes demonstravit *Dn. Schroderus*; Unde ab Ethnicis cultum Imaginum originem traxisse fatetur, docetq; *Polydorus Vergil.* l. 6. c. 13. l. 2. c. 23. & l. 5. c. 8. qui itidem *hoc colore utebantur, se honores istos non simulacris, sed diis, quorum speciem repræsentant, deferre*, ut ex *Arnobio & Lactantio* docet *Cassander, animum ipsis fuisse, vero Deo cultum exhibere per idola & imagines* agnoscit *Joh. Ferus* in cap. 17. Actor. & nihilominus damnabantur gentiles eapropter idololatriæ, *Rom. 1, 23. & seq.*

VI. Quia cultus ille *ab Ecclesiâ antiquâ Christiana* minimè probat9 est. *Simulacrorum cultum* inquit *Pol. Vergil.* l. c. 13. *omnes ferè Veteres Patres, teste Hieronymo, damnabant ob metum Idololatriæ.* Quantum *Veteres initiò Ecclesiæ ab omni veneratione imaginum abhorruerint*, ex Origine declarat *Cassand.* in Conf. art. 21. ubi plurib9 confirmat, *initiò Christianismi ne usũ quidẽ imaginum admissum fuisse, odio Paganismi, & ob metũ Idololatræ*: Postea verò *ætate Ambrosii, Niceni, Prudentii picturas, in templis receptas fuisse, ubi periculũ illud adorationis & cult9 imaginũ*

minus

minus timeretur; & Gregorij adhuc ætate Ecclesiæ sententiam fuisse, ideo honorari picturas, non quidem, ut colantur & adorentur, sed ut imperij picturis inspiciendis haud aliter ac libris legendis rerum gestarum admonerentur, & ad pietatem incitarentur. Cum autem apud Græcos acres contentiones extitissent, aliis imagines omnes confringentibus, aliis & adorari jubentibus, Ecclesiam Rom. confractionem omninò damnasse, usum verò in Ecclesia Rom. & per totum ferè orbē jam receptum retinendum censuisse, quam consuetudinem Rom. Ecclesiæ, quæ pariter confractionem & adorationem improbavit, Gallicanæ & Germanicæ Ecclesiæ aliquot seculis fortiter tutatæ sunt, usq; adeò, ut cum in Synodo Nicena sub Constantino & Irene de Imaginibus adorandis aliquot decreta edita fuissent, at q; exemplar illius Synodi ad Franckofurtensem Synodum allatum, jussuq; Caroli M. diligenter lectum fuisset, cui Synodo etiam Legati Rom. Pontif. interfuere, summo Petrum consensu Græcailla Synodus, qua parte imigintes adorandas censebat, improbata & damnata fuerit, ut quæ non modo divinis literis, & antiquæ Patrum traditioni, sed etiā consuetudini Rom. Ecclesiæ adversaretur, quæ damnatio etiam actis & capitibus illius Franckof. Synodi inserta fuit, at q; eâ de re Caroli ipsius titulo 4. libri conscripti fuere, quorum Hincmarus Episcopus Remensis meminit, & eorum exemplum hodieq; in Bibliotheca Vaticana & nonnullis Galliæ locis extat, qui libri & rationes Orientalium Patrum diligenter confutant, & quæ hactenus fuerat Rom. Ecclesiæ sententia, acriter defendunt. Cum autē postea Rom. Pontif. Græcis in hac causa paulatim concederent, Ecclesiæ tamen Gallicanæ & Germanicæ in hâc sententia & moderatione, quam primùm à Rom. Ecclesia receperant in Conc. Franckf. probatâ, constantissimè aliquot seculis perdurarunt, quod probat Cass. itidem de Gallicanis è Jona Episcopo Aurelianensi, de Germanis è Walafredo. &c.

VII. Accedunt tandem *suffragia Pontificiorum*; quandoquidem non solum *Greg. M. l. 9. Ep. adorationem imaginum debitam damnabit omnibus modis* dixit, quod allegatur *c. Perlatum distr. 3. de consecr.* nec solum *Carolus M. cum Franckof. Synodo* imaginum

num cultum & venerationem, reprobavit; de quo cumprimis *libri videndi sunt sub nomine Caroli editi*, quorum autoritatem adserit Cass. Ep. 19. ad *Molineum* p. 1103. sed & *sequentibus temporibus* plurimi ab imaginum adoratione abhorruerunt, quemadmodum *Cassand.* in Conf. *Germanos cumprimis* adhuc *ætate Frid. Barbarossæ anno* 1160. *imaginum adorationem improbasse* docet: *Jonæ Aurelianensis*, *Walafridi Abbatis*, & *Hincmari Remensis* consensum largiri nobis cogitur *Baronius ad an*: 794. §. 41. *Claudium Clementem Scotum*, *Adalbertum Gallum*, *Samsonem Sidonium*, *Vergilium Hibernum* improbasse *cum calibatu Clericorum, primatu Pontificis, Purgatorio, & Missis pro mortuis, reliquiarum & statuarum adorationes* videre est apud *Balsum* Centur. 14. c. 30. Sed & *Wilhelmus Durandus* l. 4. Rational. c. 39. ut & *Alph. de Castro* aliiq; *inter Catholicos*, fatente *Ambrosio Catharino* l. de imaginib. negarunt *imaginum adorationē & cultum religiosum*, eumq; *idololatreu m esse* dixerunt; De dissensu in ipso Conc. Trid vid. *Petrus Suavis*, ut & de *Provinciali Synod. Sebastiani Elect. Mogunt. an.* 1549. *qui imagines non ad adorationem, aut ad cultum iis deferendum in tēplis proponi debere, sed ad ea tantum in memoriam revocanda, quæ adorari oportet*, definivit l. 3. H. C. T. p. 244. & apud. *Binium tom. 4. Concil.* part. 2. fol. 258.

CONTROVERSIA VII.

An loca reliquiis, imaginibus, vel memoriis Sanctorum illustria, singularis pietatis & cultus, vel etiam pœnitentiæ, & satisfactionis causa, peregrinationibus frequentanda sint?

CConcil. Trid. peregrinationes illas *pias & religiosas esse* decernit Sess. 25. *Bell.* l. 3. de cultu Sanct. c. 8. contendit, *cedere eas dem in honorem Dei & Sanctorum, esse opera pœnitentiæ & satisfactiones, eò quod laboriosæ sint & pœnales, & augere devotionem.* Quos peregrinationum ad loca Sanctorum usus minimè admittendos, sed rejiciendos statuimus;

I. Quia

I. Quia nullũ de iis peregrinationib9 habem9 in Sacris literis *mandatum*, nullum *promissum*, nullũ etiam *Exemplũ* probatum; Fateturq́; ipse *Gretserus* l. 2. de Sacris peregr. cap. 1. p. 181. *In tertium usq; seculum non legi, quod studium peregrinationis in usu Christianis fuerit*. At cultus, qui proprio arbitrio extra verbum Dei excogitatur, ceu ἐθελοθρησκεία, passim reprobatur.

II. Quia is solum cultus pius est & religiosus, qui juxtâ *unicam & adæquatam pietatis & religionis normam S. Scripturam* instituitur. At peregrinationes istæ non instituuntur juxtà hanc normam, vel ex præscripto S. literarum: Quod ad ordinationem divinam de *profectione ad tabernaculum fœderis, & templum Salomonis*, eam ad legem Leviticam pertinuisse, adeoque in Nov. Vest. abrogatam esse, in confesso est.

III. Quia nullus *us9* harum peregrinationum, unde meritò, ceu *supervacaneæ & frustraneæ* improbandæ veniunt. Us9 quidem assignant Pontificii, sed quia nullaten9 eosdem demonstrare possunt, vanâ saltem *persuasione & superstitione* nituntur. *In honorem Dei non* cedunt; cum Deus ita honorari non voluerit, & ubiq; locorum coli possit *Joh. 4. 22. 1. Tim. 2, 8.* Nuspiam etiam leguntur præscriptæ, ceu *opera pœnitentiæ*, nec quicquid *laboriosum & pœnale* est, op9 statim est pœnitentiæ. Nulla quoq; *opera satisfactoria* pœnitentib9 imponenda esse jam *supra* ostensum fuit. Ad *attentionem* deniq; opus non est *pasſib9 corporis, vel peregrinatione, sed ascensu mentis & devotione*, quæ ubique locum habet *Matth. 6. 6. Joh. 4. 23.*

IV. Quia *loc9 nõ sanctificat hominem*; ut habetur *c. multi dist. 40.* nec præsentia Dei gratiosa ad certum adstricta est locum, sed sine locorum discrimine promissâ *Matt. 18. 20. c. 28. v. ult.*

V. Quia uti cultus Dei *citra verbum Dei* non est ad *locum certum* alligandus, 1. *Reg. 12. 30. Os. 4. 15. c. 10, 3.* Ita *in N. T.* non vult Deus amplius cultum religiosum *ad certum locum* adstringi, *Joh. 4. 20. 26.*

VI. Quia peregrinationes illæ pugnant *cum gloriâ* Dei *Jer. 2. 13. & merito Christi* perfectissimo. *Es. 63. 3. 1. Joh. 2. 2.* quum illis adscri-

adscribatur *satisfactio*, atque ita perfectissimo Christi merito derogetur.

VII. Quia peregrinationes ejusmodi inferunt *vocationis*, & eorum, quibus obstricti sumus, *desertiones temerarias & prohibitas Pf.* 37. 3. 1. *Cor.* 7. 17. 20. 24. 1. *Tim.* 5. 4. 8. iisdem *res familiaris* inutilibus expensis diminuitur, *fama*, *sanitas & vita periculis* exponitur &c. *Vincentius* serm. de assumt. Mar. *homines, ait, & mulieres peregrinando collum sibi frangunt, efficiuntur peiores, quia aliquando vadunt castæ, & redeunt meretrices. Ideò spiritualiter fiat peregrinatio, sicut Paulus dicit; Spiritu vivimus, & Spiritu ambulemus.*

IIX. Quia ab *Ethnicis* originem traxit *ejusmodi consuetudo*, & communis *Turcarum ac Ethnicorum superstitioni est*, uti de *Turcis* videre est apud *Breidenbachium in Histor. peregrin. suæ c.* 13. & *Thevetum in Cosmogr.* l. 6. c. 5. De *Ethnicis* fatetur *Gretserus* loc. cit. c. 10. p. 285.

IX. Addimus *suffragia*, utpote quod in *Concil. Cabilonensi circ.* ann. 800. Can. 45. reprehendantur, *qui Romam aut Thuronum sub prætextu adorationis peragrant, putantes se à peccatis purgari:* quod urget *Cassand.* Cons. art. 21. Improbant etiam easdem *peregrinationes Claudio Tauronensis* Episcopus, *Marcus Tolosanus*, apud *Coccium* tom. 1. thes. l. 5. art. 17. *Polyd. Vergil.* l. 6. de rerum Invent. c. 13. *Erasmus* in Colloq. *Wicelius*, *Cassander &c.*

CONTROVERSIA IIX.

Utrum Ecclesia sit cætus hominum ita visibilis & palpapilis, ut est cætus populi Romani vel Regni Galliæ?

AFfirmant Pontif. adeoq; definiunt *Ecclesiam, quod sit cætus hominum ejusdem fidei Christianæ professionis, & eorundē Sacramentorum communione colligatos sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius in terris Christi Vicarii Romani Pontificis.* Nec requiri putant *ad id, ut aliquis sit pars Ecclesiæ, ullā internam virtutem. sed tantū externam professionē fidei & Sacramentorum communionis, quæ sensu ipso percipitur*, ut videre est apud

Bellarm.

Bell. l. 3. de Eccl. c. 2. Unde statuunt, *etiam graves & manifestos peccatores membra esse Ecclesiæ*; *Bell.* l. cit. c. 9. *Lindan.* l. 4. Panopl. c. 4. quin & *Conc. Trid. fideles dixit fornicarios, adulteros, fures, alios q., qui lethalia committunt peccata* Sess. 6. c. 15.

Nos verò cum *Aug. Conf. Ecclesiam propriè* dicimus *esse Sanctorum, & verè credentium congregationem; tametsi multi Hypocritæ & mali admixti sint in cœtu illo, in quo est Ecclesia.* Quam *visibilem* quidem statuimus ratione *externæ congregationis, sacrorum administrationis & fidei professionis*; *Invisibilem* verò ratione *internæ communionis in unione fidei, spei & charitatis, quâ Christo capiti, ut & inter sese uniuntur*, de quâ, quoad *veritatem religionis*, oculi auresq; judicare non possunt, sed *mentes lumine Spiritus S. illustratæ*, ipsam *verò internam communionem*, quâ sunt verè credentes & pii, ne mente quidem assequimur, sed *soli Deo* relinquimus: Proinde *invisibilis* dicitur Ecclesia, non quod pii ratione *suæ personæ* videri nequeant, sed quod *fides & pietas*, cujus ratione vera sunt Ecclesiæ membra, non videantur. Membra Ecclesiæ *visibilia* sunt, sed non *qua membra*; *Visibilis* est Ecclesia *quoad omnes credentes*, etsi nõ sit *per monstrabilis per separationem hujus & illius Individui.* Quam sententiam nostram hisce probamus.

I. *A Sponsæ Christi denominatione.* Vera Ecclesia est *Sponsa Christi Cant.* 4. 10. *Esa.* 61. 10. *Joh.* 3. 29. Sponsa autem Christi *tota pulchra est & absq; macula, Cant.* 4. 7. tota *ornata & gloriosa Psal.* 45. 14. *Sancta & inculpata Eph.* 5. 29.

II. *A corporis mystici descriptione*; *Cujus membra à capite in unum corpus conjuncta & connexa, per omnem junctu*ram *subministrationis, secundum structuram cujusq; membri augmentum corporis faciunt in ædificationem sui in charitate, Eph.* 4. 17. *Col.* 2. 19. quæ commissuræ sunt *fides, Spes & Charitas.* At Ecclesia est *corpus Christi, Rom.* 12. 5. 1. *Cor.* 12. 27. *Eph.* 1. 23. *Col.* 1. 18.

III. *A civitatis Dei conditione*; quod in ea non sit *immundus & incircumcisus Es.* 52, 1. *Ezech.* 44. 9. *Joel.* 1. 16. *Conf. Apoc.* 21. 19.

IV. *A Regni Dei proprietate*; quod sit *spirituale*, nec visibile. *Luc.* 17. 20.

V. *A domus Dei qualitate.* Ecclesia enim est *Domus spiritualis 1. Tim. 3. 15.* exstructa *è vivis lapidibus 1. Pet. 2. 5.* ad quam pertinentes firmam retinent fiduciam, *Hebr. 3. 6.* qui etiam *templa* dicuntur *Spiritus s. 1. Cor. 6. 19.*

VI. *Ab ovilis Christi designatione:* In eo enim sunt *oves Christi vocem audientes Joh. 10. 17.*

VII. *A relatione Matris & filiorum.* Nam Ecclesia est *mater omnium credentium; Gal. 4. 26.* veræ Ecclesiæ membra sunt *filii Dei è Deo nati, Joh. 1. 12. hæredes Dei, Rom. 8. 17. qui ducuntur Spiritu Dei, v. 14. & imitantur opera Patris cœlestis. Matth. 15. 45.* sunt *bonum semen & filii Regni Matth. 13. 38.*

IIX. *Ab indole Ecclesiæ,* quod sit *Sancta, & per communionem Sanctorum* describatur juxta Symb. Apostol. unde *Origines, Chrysost. & Hieron.* Ecclesiam definiunt *Sanctorum congregationem: Aug.* l. 5. de Baptism. contra Donat. c. 27. huc refert nomina Ecclesiæ encomiastica, *quod in Cantico Canticorum Ecclesia sic describitur hortus, soror mea, fons signatus, puteus aquæ vitæ, paradisus cum fructu pomorum, hoc intelligere non audeo, nisi in Sanctis, & justis, non in avaris, fraudatoribus, & raptoribus & fœneratoribus, & ebriosis & invidis &c.*

IX. *A splendore Ecclesiæ proprio, qui interior est & in abscondito Ps. 45. 14. 1. Pet. 3. 4.* Unde distingvit Apostolus inter *Judæum in manifesto & abscondito,* & hunc demùm *verum Judæum* esse censet *Rom. 2. 28. 29.* qua propter etiam *verus Christianus* is demùm erit, qui est *in abscondito & spiritualis particeps circumcisionis.* Quod autem in abscondtio est, illud utiq; est *invisibile.*

X. *Ab indole* eorum, quæ constituunt vera Ecclesiæ membra, ceu sunt *fides, spes, charitas,* quippe quæ ita comparata sunt, ut illorum notitia soli Deo conveniat *1. Reg. 8. 39. c. 19. 18. Rom. 11. 4. 2. Tim. 2. 19.* Cum ergò id, quod facit propriè, ut quis sit *de Ecclesia,* non sit visibile, utiq; *Ecclesia vera, quà talis,* propriè visibilis non est

XI. Quibus accedunt *suffragia: Cardinalem de Turrecrema, Alexand. Alensem, Hugonem, Thomam, Petrum à Soto & Melch. Canum*

Canum negare, quod *impii sint vera membra Ecclesiæ, tametsi sint in Ecclesia*, fatetur Bell. l. 3. De Eccl. c. 9. *Cassand.* art. 7. Conf. agnoscit *rectè definitam esse ab A. C. Ecclesiam*, quod sit *congregatio Sanctorum*. Jus Can. *cauf. 25. q. 3. c. de illis* hæc habet ex *Augustino*; *Nec ille dicendus est esse in Ecclesia & ad istam societatem Spiritus pertinere, qui ovibus Christi ficto corde miscetur, neq. enim solum ad Ecclesiam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi, qui in ejus unitate corporaliter misti, per pessimã vitam separantur*: unde distinguit *autor Glossæ super decreta de Pœnit. dist. 1. Cap. de Ecclesia*: *Dic*, inquit, *aliud esse de Ecclesia esse, quod hic negatur de malis; aliud esse in Ecclesia. Costerus* in Apol. part. 3. 12. *ut phlegma*, inquit, *sanies, oliva, sanguis abundans viventis hominis neq. membrum sunt, neq. partes, & tamen non sunt extrà corpus; Ita impii ad superfluos humores referuntur, qui suo tempore, ubi maturi fuerint, cum stercoribus ejiciuntur. Bell.* concedit ipse l. 3. de Eccl. c. 9. *Impios & Hypocritas in Ecclesia non esse viva membra corporis Christi, sed mortua & arida, quæ solum adhærent reliquis externa conjunctione; non esse membra principalia, sed tantum sicuti sunt capilli, aut ungues, aut mali humores in corpore humano. Stapletonus impium esse* dicit *membrum Ecclesiæ, quatenus est area & ager Domini, ubi reperiuntur quoq. palea & Zizania*, contr. 1. Qu. 1. art. 1. Quæ etsi distinctionibus quibusdam expedire velint *Bell. Stapletonus, Thomas Henrici, Hagerus*, magis tamen magisq; implicant & intricata reddunt; uti planum fecimus *disp. 14. super A. C. th. 9. seq.* Quod verò Ecclesia etiam dicatur *rectè invisibilis*, nec ipsimet Papistæ diffiteri possunt. Fatetur *Greg. de Val. nimium dici, si ipsa Ecclesiæ essentia & veritas aut oculis cerni, aut evidenti ratione intelligi posse statuatur: non enim arbitramur*, inquit, *palam adspici, aut evidenter cognosci posse, quod ulla congregatio sit revera cætus rectè colentium Deum, & Sancto Spiritu gubernetur* l. 4. Anal. p. 4. *Bell.* agnoscit *in Ecclesia aliquid videri & aliquid credi: Videmus enim*, inquit, *eum cætum hominum, qui est Ecclesia, sed quod ille cætus sit vera Christi Eccle-*

sia non videmus, sed credimus, l. 3. de Eccl. c. 15. Quid quod *Jac. Schopperus* Conc. 1. in Festum Innoc. p. 184. diserte Ecclesiam faciat *duplicem, visibilem & invisibilem: in illa dicit bonos & malos esse: hanc collectionem esse credentium, quæ invisibilis dicatur, non quod videri non possint, qui in ea sunt, sed quod nemo mortalium eos tales esse novit: nam tametsi, quatenus homines sunt, videantur, tamen quatenus veri credentes, non possunt videri, quod vera fides lateat intus in corde.*

CONTROVERSIA IX.

Utrum Ecclesia ita reddi possit inconspicua, ut nullo gaudeat publico religionis exercitio?

NEgant Pontificii: *Bell. de particulari* Ecclesia l. 3. de Eccl. c. 2. communiter ac potissimum de *universali* id inficiantur. *Bell.* c. 13. *Becan.* q. 1. Concl. 4. th. 26. *Stapleton.* contr. 1. q. 3. art. 2. *Huntlæus* Contr. 2. c. 4. *Greg. de Val.* l. 6. Anal. c. 4. *Tom. Henrici &c.* Quorum sententiam discussimus *Disput. 12. super Aug. Confess. th.* 16. *seq.*

Quod autem *Ecclesia* non semper *visibilis* sit, sæpè *publico exercitio destituatur*, aut destitui possit, etiam loqvendo de *universali Ecclesia*, hæc docent.

I. Quod defecerit *Ecclesia Israelitica Achabi & Eliæ tempore*, *1. Reg.* 19. 10. ubi Elias se solum inter filios Israel relictum esse conqveritur, adeoqve latuerunt veri Dei cultores, nec publicum habuerunt exercitium.

II. Quia in *Regno Israelitico* non vigebat publicè alio, quam idolatricus cultus statim à principio *sub Jeroboamo* usqve ad *captivitatem*, 1. *Reg.* 12. 18. 2. *Reg.* 17. 22. nihilominus *semper aliqui fuerunt in illo Regno, qui abstinerent ab Idolatria, & verum Deum agnoscerent*, ut scribit *Becanus l. 1. man. c. 3. Cont. 4.*

III. Quia tempore *Roboami* Idolatria publice exercebatur 1. *Reg.* 14. 15. ut & tempore *Abiam* 1. *Reg.* 15. *Asæ* & aliorum *Regum Juda* 2. *Par.* 28. 24. ubi utiqve veri Dei cultores in illa Ecclesia superstites latuerunt.

IV. Quia *tempore persecutionum Christianorum* fideles in occulto sæpius latitarunt, & Deum suũ coluerunt; qui certè cõstitue

stituerunt Ecclesiam aliquam, etsi *publicum exercitium* non habuerint, nec instar *Regni Galliæ, aut cæt9 alicuj9 populi* dignosci potuerint, sed in *cryptis, cavernis, desertis sese* abdiderint.

V. Quia *Ecclesiæ particulares* tempore *hæresium ingravescentium* & cumprimis *Arrianismi* sæpè factæ sunt *invisibiles*, ubi fideles abscondi, in solitudine oberrare, & in speluncas abstrudi oportuit, latente *Athanasio* in Ep. ad solit. vitam agent. &c. Plurimas Ecclesias Asiæ, Africæ & in Europa sæpè latuisse, nec publicum habuisse exercitium, quâ specie negabitur?

VI. Quod verò *Ecclesiam universalem* attinet, illam delitescere etiam posse, exempla comprobant: Tempore *antediluviano* Ecclesia pressa fuit insidiis *Cainitarum*, ut nullum publicum exercitium habuerit. *Diluvii* tempore in exiguo 8. animarum cætu Ecclesia in mari jactitata est. *Gen. 8. 16. 1. Petr. 3. 10.* Post diluvium Idolatria tantopere invaluerat, ut *antè Abrahæ vocationem* nuspiam purum verbi ministerium inveniretur *Gen. 19. 31. Jos. 24. 2.* In *Ægypto* nullum habuit Israelitica Ecclesia *exercitium publicum*; In *deserto* publicus Ecclesiæ cætus defecit *Idolatria Exod. 32. c.* Tempore *Judicum subinde* prolapsi sunt ad *Baalismum, Jud. 3. 7. c. 8. 27. c. 10. 6. c. 17. 5.* tempore *Heli sermo Domini erat rarus admodum 1. Sam. 3. 1. in diebus Saul arca non fuit req9isita*, adeoque jacuit publicum exercitium *1. Par. 13. 1.* tempore *Eliæ* neq; in *Regno Israelis*, neque *Judæ* viguit *publicus* Dei cultus ante *Christi nativitatem* dominabantur *sectæ Pharisæorum, Essæorum, Sadducæorum*, Ecclesia *vera* erat in paucis &c. Conf. de hisce è nostris *Dn. Gerhard. in locis Commun. & Dn. Meisner. tract. de Eccles.*

VII. Ecclesia N. T. tempore universa ita latuit quoq;, ut nullum quandoq; obtineret *publicum* exercitium. *Tempore passionis Christi*, ubi Pharisæi & populus Judaic9 Christum crucifigebant, Judas prodiderat, Petrus abnegarat, cæteri Apostoli latitabant, ubi tum erat *publica* Ecclesia? ubi publicum exercitium conspiciebatur tempore X. *persec.* ubi templa Christianorum eversa, solumq; cultus Ethnici floruerunt; cumprimis ultima *persecutione* sub *Diocletiano*: tempore *Arianismi*, cùm

totus mundus miratus est se Arrianum factum esse, &c. Vid. *Socrates* l. 2. c. 29. *Sozomenus* l. 4. c. 8. &c.

IIX. Quibus accedit, quod ipsimet Papistæ fateantur *cessationem publici exercitii & delitescentiam Ecclesiæ tempore Anti Christi, Anglo Remenses* in 2. Thess. 2. v. 10. *Stapletonus* l. 13. doctr. princip. c. 2. *Bellarm.* l. 3. de R. P. c. 7.

IX. Huc faciunt etiam prædictiones de defectione publicâ ita comparatâ, ut vix fidei locus sit relinquendus, tantum abest, ut publicè visibilis sit Ecclesia, omnibus conspicua; *Dan. 9. 27. Matth. 24. 11. Luc. 18. 8. 2. Thess. 2. 3. 1. Tim. 4. 1. Apoc. 9. 1. c. 12. 7. c. 13. 3.*

X. Addimus tandem hypothesin Adversariorum; *Ecclesiam in duobus vel in uno homine conservari posse*, ut tempore *Passionis Christi in Mariâ. Panormitan. c. significasti extravag. de Elect.* ut & *suffragia Thomæ* in cap. 9. Apoc. *Stapletoni* l. 9. princ. doct. c. 14. contr. 5. *Anglo Remens.* in Annot. in cap. 12. Apoc. & *Greg. de Val.* l. 6. de anal. fidei c. 4. qui fateri coguntur, *Ecclesiam nonnunquam fieri posse inconspicuam* & invisibilem. &c.

CONTROVERSIA X.

Utrum aliæ præter Verbum Dei & Sacramenta Notæ sint Ecclesiæ indubiæ?

Bell. l. 4. de Notis Eccles. nostram impugnat sententiam, quâ statuimus, Ecclesiæ notas *esse verbi prædicationem & Sacramentorum administrationem*: Notas verò hasce assignat Ecclesiæ numero XV. *Nomen Cathol. Ecclesiæ; Antiquitatem, Durationem diuturnam, nec unquam interruptam, Amplitudinem, Successionem Episcoporum, Conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua. Unionem membrorum inter se & cum capite, Sanctitatem doctrinæ, efficaciam ejusdem, Sanctitatem vitæ Auctorum religionis, Gloriam miraculorum, Lumen Propheticum Confessionem Adversariorum, Infelicem exitum oppugnatorum, Felicitatem denique temporalem defensorum ejusdem.*

Nos verò Notas illas, quatenus à nostris discrepant, nothas & adulterinas esse, vel incertas pronunciamus, solumque

quę nostras pro genuinis haberi debere profitemur, quas cum Aug. Confess. art. 7. revocamus ad consensum cum S. Scripturâ de doctrinâ Evangelii, vel articulis fidei ad *salutem scitu necessariis*, & *legitima Sacramentorum administrationes*: prout expilcavimus disp. XIII. in A. C. th. 14. seq.

I. Quia quicquid veram Ecclesiam *infallibiliter notificat*, & prętер quod *nihil aliud* datur, unde Ecclesia vera infallibiliter demonstrari possit, id solum vere est Nota Ecclesię characteristica. At *consensus Ecclesiæ de Evangelii doctrina & de administratione Sacram.* cum S. Scriptura notificat Ecclesiā infallibiliter, nec præter eundem quicquam datur, quod eam infallibiliter notificet, quia *normatum* aliter cognoscere & æstimare qui velit, quàm è *congruentia cum sua norma*, is ne quidē, quid *norma & normatum* sit, intelligit. Verbum Dei Scriptura S. comprehensū *norma est fidei Ecclesiæ, Joh. 13. 6. Es. 8. 20. Joh. 8. 47. Gal. 1. 8. c. 6. 16.* quod & Bell. fatetur *l. 1. de v. D. c. 2.*

II. Quia *Ecclesia* nihil aliud est, quàm *cætų in Christi nomine congregatų, Matth. 18. 20.* quā *Pontificij* ipsi ferè omnes ita describunt, ut mentionē faciant *Evangelicæ doctrinæ, prædicationis verbi Dei & administrationis Sacramentorū*, ut testatur *Thomas Henrici* Anat. Aug. Conf. pag. 115. Unde colligimų; *Definitio certò demonstrat definitū*, ita ut definitione datâ negari non possit definitū. At congregatio, in quâ Verbum Dei rectè prædicatur, & Sacramenta rectè administrantur, est *definitio Ecclesiæ* citra controversiā. Cætera verò, quæ attexi solent de *regimine*, *successione*, *amplitudine*, partim falsa, partim dubia sunt & in controversiam vocantur E.

III. *Principium essendi* quoq; est *principium cognoscendi*: At essendi principium Ecclesiæ est *verbum Dei*, ut & *Sacrament a*, quod iterùm coguntur admittere Papistæ ob evidentiam testimoniorum Scripturæ; *1. Cor. 4. 15. Eph. 5. 27. Tit. 3. 5. 1. Cor. 10. 17. 1. Pet. 1. 23. Jac. 1. 18. Major* probatur, quit *causa nos deducit in cognitionem effecti & scire est rem per causam cognoscere.* Quemadmodum Ecclesia *colligi & conservari* non potest, nisi per ver-

verbum & Sacramenta. Sic neqve *cognosci potest*, nisi è Verbo Dei & usu Sacramentorum: Non possumus veritatem divinam agnoscere, certaq; fide amplecti, nisi è verbo Dei informemur de *cœlesti Veritate*, fidemq; excitet Spiritus S. per *Verbum & Sacramenta*; nec aliter Ecclesiam dignoscimus; quàm qvatenus cognoscimus, quod cœlestem veritatem hic vel iste cætus amplectatur, mediisqve fidei utatur.

IV. Quicquid *Ecclesiæ soli & semper* competit & *cum Ecclesia vera reciprocatur*, eandemq; à falsis quibusvis Ecclesiis, aliisve cætib9 distinguit, illud certò demonstrat Ecclesiam. At *consensus Ecclesiæ cum Scriptura de prædicatione Evangelii & administratione Sacramentorum competit veræ Ecclesiæ, quo de nullam esse controversiam* fatetur *Thomas Henrici* l. c. p. 98. & qvidē *soli* Ecclesiæ convenit, & *semper*, quod tam clarum est, ut *Valentiang, Pistorig, & Thomas Henrici* dicant *esse de Ecclesiæ essentia*, quod hacten9 admitti potest, in quantum Ecclesia *ut vera* consideratur, quemadmodum de *essentia* Doctoris veri, quâ *talis* est, *veritas doctrinæ*; Quanquam verò *falsæ Ecclesiæ* conspirationem cum S. Scripturâ sibi quoq; vendicent, non tamen ob id conspiratio cum Scriptura negari debet esse veræ Ecclesiæ *propria nota*; nam eadem qvoq; mentiuntur *veram unitatem, Catholicismum, Apostolicismum*, quas tamen veras & proprias notas statuunt Papistæ; nec facilig à *Laicis* dignosci potest, quis cætus verè *sit unus, Catholicus, Apostolicus Sanctus*, (cum omnes *Ecclesiæ falsæ* hos titulos qvoq; sibi arrogent) quam quisnam cætus conspiret cum S. Scriptura?

V. Quicquid certò demōstrat *oves Christi*, id quoq; demonstrat Ecclesiam, quæ est *ovile Christi*: cognitis enim, qui sint in Ecclesia, cognoscitur quoq; ipsa Ecclesia, quæ nihil aliud est, quam multitudo eorum, qui Ecclesiā constituunt. At τὸ *audire vocem Christi*, demonstrat, quæ sint oves Christi: nam *quicunq; vocem Christi audit, ovis ejus est, Joh. 10. 37, conf. c. 8. 32.*

VI. Quo τεκμηρίῳ agnosci debet *verg Doctor Ecclesiæ*, eodem quoq; agnosci potest *vera Ecclesia*; At verus Ecclesiæ Doctor agnosci

agnosci debet,& à falsis discerni per *veram & incorruptam doctrinam Matth.7.16.ex fructibo eorum agnoscetis eos; ubi Stapletonus* l.10. de doctrin. princ. c. 1. agnoscit; *per fructus intelligi dogmata, quibus falsi Doctores à veris discernuntur, Conf. 2. Joh.* 9. 10. Unde *Berrhoënses* probabant Doctores, collatione dogmatum cum Scripturis; *Actor.* 17. 11.

VII. Accedit, quod non tantum *populus Dei* distinctus *olim* fuerit ab aliis cætibus per *verbum & Sacramenta*, ut videre est è *Gen. 17. Exod. 12. 20. cap. Deut. 4, 6. Psal.* 147. 19. 20. Sed & *primitiva Ecclesia N. T.* his symbolis discreta sit ab aliis congregationibus. *Actor.* 2. 42. Quis ergò dubitaret *Verbum* & Sacramenta certò indicare veram Ecclesiam?

IIX. Quicquid non est *infallibiliter verum*, id articulum fidei infallibiliter demonstrare non potest. At nihil eorum, quæcunq; vel adferuntur, vel adferri possunt, *præter consensum cum Verbo Dei*, verum est infallibiliter. Ergò nihil eorum potest *demonstrare articulum fidei*: nimirum *quod hæc Ecclesia sit vera Ecclesia. Minor* probatur: Nam quæcunq; adferuntur præter Verbum Dei, nituntur autoritate saltem humana, quę certè non est infallibils. Nec est, quod dicant Pontificii, *Ecclesiæ autoritatem quoque esse infallibilem, & testimonium ejusdem non esse humanum merè, sed quodammodo divinum.* Nam Ecclesia adferri nequit in testimonium, cum de *Ecclesiæ veritate* disceptatur: *Præterea* testimonium Ecclesiæ vel *consentaneum* est S. Scripturæ, atq; ita divinum quidem est, sed non est aliud præter consensũ cum verbo Dei, sed est reverâ ipse consensꝰ cũ Scripturâ: Vel est *dissentaneũ à Scripturâ S.* & sic planè rejici debet. *Insuper* officium Ecclesiæ divinum est *de jure*: Verũ *quæstio facti* est, cum quæritur, *quisnam cætꝰ ea doceat, quæ sunt Verbo Dei conformia.* Ecclesiæ ministeriũ est, *docere sincerè Verbum DEI, & quatenꝰ illud docet, vera est Ecclesia*; ejus autoritas certa est non *per se*, sed ob *conspirationem cum Scriptura S.* At cum non omnes Ecclesię sincerè doceant verbum Dei, adeoq; inquirendum sit, quænam sincerè doceant, unicè recurrendum ad Scripturam, ut ex ea informemur.

IX. Quid quod Notæ adversariorum vel ita sint comparatæ, ut vel *eædem sint cum nostris*, quà veræ, propriéque dictæ sunt Notæ ut pote *Conspiratio in doctrinâ cum Ecclesiâ verè antiquâ &c.* vel non sint *notæ veræ & genuinæ*, sive quod *falsò* assignentur notato, scilicet *Ecclesiæ*: qualis est *dependentia à Rom. Pontif.* itemq; *infallibilitas & immunitas ab erroribus*; sive quod *non semper* conveniant Ecclesiæ, qualis est *gloria miraculorum, lumen Propheticum &c.* sive quod *non sint notiores Ecclesiâ*; utpote *infallibilis Spiritus S. assistentia, Sanctitas primorum Patrum Christianæ religionis, perpetua verorum & legitimè vocatorum, eorumq; purorum Doctorum successio, unio membrorum inter se & cum capite*, sive quod non *apodictice* demonstrent, quales sunt, quæ *soli* Ecclesiæ non conveniunt, utpote *Sanctitas professionis externa, duratio, diuturna successio, ordo, visibilitas, unitas de ritibus*; & quæ non *reciprocantur cum Ecclesia, ut nomen Catholicum, Antiquitas, amplitudo, felicitas propugnantium, adversitas oppugnantium &c.* Requirit enim Bell. ipse c. 2. l. 4. de Not. Eccl. *ut notæ notiores sint Ecclesia, inseparabiles à verâ Ecclesiâ, non sint communes, sed propriæ, certò* deniq; *demonstrent, ubi sit Ecclesia Singularum Notarum* discussionem & examen videsis apud *Dn. D. Gerhard.* in L. C. ut & *Dn. D. Nic. Hunnium* in Pelle Ovinâ.

Quibus deniq; accedunt *suffragia, Cardin. Hosii Conf. Petricov. c. 20. p. 27. sanam doctrinam & legitimum Sacramentorũ usum Ecclesiæ notas esse, negari non potest. Certũ enim est, quod Verbum Dei, quod Sacramentorum verus usus nusquam est alibi, quàm in solâ Catholica Ecclesia Georg. Wicelius* Com. de semit. antiqv. *Habet Ecclesia propriè dicta signa sua puram ac sanam doctrinã Evangelii, & rectum usum Sacramentorũ; & ad veram unitatẽ Ecclesiæ opꝰ est consentire de hac doctrinâ Evangelii, & administratione Sacramentorũ. Liber interim ist: c. 10. Sunt Ecclesiæ veræ notæ doctrina sana, & Sacramentorum usꝰ, quibus à Judæorum & Ethnicorum catibꝰ Ecclesiæ, distinguitur, Stapleton.* fatetur in relect. princip. fid. contr. 1. q. 4. art. 5. p. 113. *Ecclesiam Christi à sapientibus, & spiritualibus cognosci per sanam doctrinam & rectũ Sacramento-*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0232
Mecklenburg Vorpommern

mentorum usum. Fatetur *Joh. Ferus agnitam fuisse hisce notis Ecclesiam Apostolicam* in comment. Act. 2. Fatetur *Salmero* t. 13. disp. 3. in Ep. Paul p. 163. *Volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia, non est alius modus, nisi tantummodò per Scripturas.* Fatetur *Bell.* l. 3. de V. D. c. 3. *non posse judicari, quæ sit vera Ecclesia, nisi prius judicetur, quæ sit sententia congruens cum Verbo Dei, &c.*

CONTROVERSIA XI.

Utrum Anti-Christus in Scripturis prædictus sit singularis quidam homo, circa finem mundi demum venturus?

HOc est, quod Pontificii communitèr contendunt, quoque *Bell.* toto l. 3. de R. P. sibi demonstrandum sumit. Quæstio autem est de Anti-Christo Magno, cóq; non *Orientali, Gogo*, qui extra Ecclesiam est, & forinsecus Ecclesiam impugnat, sed *Occidentali, Babylonica Meretricis* Sponso (cujus utriusq; notas confundit Bell. cum aliis Pontificiis, ut suum Utopicum & fictitium Anti-Christum asserant) cujus adventum propheticè prædictum esse *Dan. 11. & præcipuè 2. Thess. 2.* ut & in *Apocalypsi Johannea* sub specie modò *meretricis*, modò *Bestiæ*, utrinq; constat. Hunc verò *singularem aliquam Personam esse demum sub finem mundi adhuc venturam* inficiamur.

1. *Ob probationis defectum*; quia nullo è Scripturis documẽto id demonstrare possunt Papistæ. *Joh. 7. 43.* VOX *ALIUS* nõ notat definitum quoddam Individuum, sed indefinitè *quẽcunq; alium*; ut nomen alius accipitur Joh. 4. 32. 1. Cor. 12. 8. 10. Phil. 3 4. nec de Anti-Christo illo Magno, sed de *Pseudo Christis* quibusvis intelligi debet, ut agnoscit *Jansenius, Salmero, Toletus, Pererius, Maldonatus, Barradius, Didacus Stella &c.* In altero loco *2. Thes. 2, 7.* ἄνθρωπος ἄνομος itidẽ nõ notat *certam quandã personã*, quandoquidẽ *articulus* non semper certã designet personã. Sic ὁ ἱερεὺς *Lev.* 4. terdecies occurrit, nec denotatur tamen unum Individuum, sed *quilibet Sacerdos*. Sic etiã ἄνθρωπος de *multis* usurpatur cum *articulo Matt.* 12. 37. *Matt.*

2.32.2.*Tim.*3.17. Quid quod *Pontificii* articulum etiam cum *demonstrativo pronomine Matth.*16.18. ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ negãt esse *notam certæ personæ*, referendo illud ad quemlibet Pontificẽ.

II. *Ab Antichristi exortu*, qui jam cepit tacitè operari Apostolorum temporibus 2. *Thess.* 2. 6. nec tamen nisi cum adventu Christi novissimo exspirabit, uti v.8. innuitur. Non ergò potest esse una numero ac singularis persona, quia non potest unus numero homo dari, victurus inde ab Apostolorum temporibus ad finem usque mundi.

III. *Ab Apostasias nuncupatione*. Mentio enim fit Apostasias 2. *Thes.*2.7. quæ non potest commodè intelligi, nisi per *generalem quandam defectionem à fide*, quæ non fit *paucorum annorum, ut sub uno Rege* compleri possit; nec veri simile est *toorbem*, qui Christianus factus erat, subitò ab uno homine seduci, ut deficiat à Christo. Adde, quod *Bell.* ipsum *Anti-Christum* vocari velit ἀποστασίαν, & quidem κατ' ἐξοχήν, unde iterum inferimus *multitudinem Apostolorum* designari, non enim *seditionem* pro unico homine conjurato dicimus, sed *seditio* multos seditiosos, conjuratio multos conjuratos notat, adeoq; & ἀποστασία seu *defectio* multos Apostatas notabit.

IV. *Ab Anti-Christi mystica repræsentatione*, quia sub typis bestiæ describitur *Apoc.*13. & 17. *c.* agnoscentibus adversariis. At quæ in Scripturis *Propheticis, Danielis & Apocalypseos sub bestiarum typis* repræsentantur, ea non notant singularia Individua, sed *singulos hominum bestialium status*; quo Bell. ipse, *Apoc.*13. *multitudinem impiorum priori bestiæ* designari ait *l.3. de R.P.c.*15, quæ etiam secundum *Alcasarem* est *communis expositio Cath. Veterum*. Pertinet huc, quod *Anglo Remenses* in c. 17. Apoc. annot: 7. *septem capita* dicant 7. *Reges esse, seu Regna, sextum statum Imperii, septimum Anti-Christi designare*; ut ergò *sextum* caput non est individuum aliquod, sed *statum Imperat:* qui plures fuere numero notat, ita & *septimum* caput nõ *unum individuum*, sed plures Anti-Christos designat.

V. A. *No-*

V. A. *Notarum AntiChristi falsarum remotione*; Quas enim *singulares unius Individui Notas* ponunt Papistæ, illæ merè sunt fictitiæ, utpote quod *Anti-Christus* 1. Ratione *exortus vel generationis suæ de fornicaria muliere sit nasciturus è tribu Dan.* aut certè è *gente Judæâ, & à Judæis ceu Messias excipiendus sit. Hieronymus Oleaster & Alph. Tostatus* rident ea de *Anti-Christo è tribu Dan. quasi fabulam*, nec è tribu Dan, sed *Juda* expectant Judæi Messiam suũ: Et ubi talia in Scripturis habentur? Quomodo *Judæus origine* Apostata dicetur, sive à Rom. Imperio, sive à fide Romanâ 2.? Quomodo *in templo Hierosolym.* sedem figere poterit (ut volunt Papistæ) quod nunquam reædificandum est, *Dan. 9. 27. Matth. 23. 38.* uti agnoscant *Lyranus, Pererius. Baronius.* Sedes ejus dicitur *urbs posita super 7. montibus, & urbs magna super gentes.* quod neutrum *Hierosolymæ* convenit, utrumq; *Roma. 2.* de *adventu Anti-Christi circa finem demum mundi* nihil adferri potest è Scripturis. Dies novissimos *tempus N.T.* vocari notissimum; est fatetur̃q; *Barradius*, ut & *Bell.* ipse *l. 3. de R. P. c. 9. 3. de regimine trium annorũ cum dimidio*, quod fingunt, *ἄγραφον est*, *Dan. 7. 2. 5.* non agitur de *Anti Christo Occidentali: c. 12. De Antiocho Epiphane* ad literam sermo est: nec præcisè anni $3\frac{1}{2}$. *literaliter* accipiendi sunt, sed mysticè, ut probat *Alcasar*, quia *sensus proprius* nequaquam convenit *stylo ænigmatico.* Sed & *ἀντιγραφον* est commentum istud, quia jam cepit *tacitè Apostolorum tempore* mysterium iniquitatis, *2. Thes. 2. 7.* Et si præcisè $3\frac{1}{2}$. annos regnaturus est Anti-Christus, & tum sequetur *adventus Christi*; an non præcisè sciri poterit tempus adventus Christi! Quod est contrà *Marc. 13. 32. Act. 1. 7.* tametsi Christo hic malint contradicere Jesuitæ *Shvarez* l. 1. de Anti Christ. c. 15. n. 17. *Lessio* demonstrat. 13. quã suum fictitium Anti Christũ dimittere 4. *De miraculis*, quod *ignem de cœlo sit detracturus, & effecturus, ut imago bestiæ loquatur, moriturus* item simulate, & *resurrecturo ex Apoc.* 13. Quæ illic dicuntur, *mystica* sunt, varieq; exponũtur. Vid. Interpretes Apocalypt. *Ignis de cœlo deductionem Anglo Remenses & Riebera* non assignant *Anti-Christo*: quidam explicant de *igne excommuni-*

municationis Papalis, quæ fit *adhibitis facibus ardentibus, è loco sublimiore vibratis quasi è cœlo* in excommunicatos. *Imago bestiæ loquentis de Rom. Imperio animando & Spiritu donando à R. Pontifice* exponitur. *Bestiæ caput cæsum* saltem dicitur, *non mortuum*, neq; ad *bestiam secundam s. Anti Christum, sed ad primam, R. Imperium* pertinet. 5. *De prælis*, quod *cum tribus Regibus pugnaturus sit*, merum itidem figmentum est *Dan.* 7. non nisi mystice agitur de *Anti Christo*, & quidē *Orientali. Ezech.* 38. 39. *c. Pererio* fatente, non de *Anti Christi prælijs* sermo est, sed de *Regibus Syriæ. 6. de oppugnatione Anti Christi* fingunt, quod *Enoch & Elias se ipsi opposituri sint. & ab eo occidendi, post tres dies revicturi:* Alii loco Enoch *Mosen* denominant, ut *Gagnæus, Catharinus, Maldonatus*, quos refellit *Lorinus. Jansenius* addit illis *Moseny* ceu tertium. *Barradius Johannem Evangelistam* adjungit duobus illis Anti Christi oppugnatoribus. Alii *Eliæ* accensent *Jeremiam;* Omnia sunt prorsus commentitia, de quibus nec vola, nec vestigium in Scripturis. Et quî quæso, immortales, in cœlesti gloria viventes, occidentur? nisi forsan e Paradiso Utopico reduces (nuspiam enim existere Paradisum terrestrem agnoscunt *Eugubinus, Oleaster, Catharin. Genebrardus, Jansenius, Pererius, Suaretzius*) tyrannidi Utopici Anti-Christi obnoxii futuri & occidendi dicantur, quos *tulit Deus, ne viderent mortem*, quique cœlesti amicti gloria, visi sunt in *transfiguratione Christi, Matth.* 17. 2. *Heb.* 11. 5.

VI. *A notarum verarum expressione:* quippe quæ tales sunt, ut non uni tantùm, sed *pluribus* conveniant ordine sibi succedentibus. Cui autem conveniunt notæ Anti-Christi, is est Anti-Christus. Exprimuntur autem hæ in sacris *notæ*,

(1.) *Circumstantia temporis*: quod Apostolorū quidem ætate jā *tacitè* peragi cœperit mysteriū illud iniquitatis, at *apertè* prodire demùm debuerit Imp. Romani distracti, & disturbati tempore, 2 Thess 2. ut interpretatur *Cyrillus, Chrysost. Oecumenius, ac Theophyl.* & è Latinis *Ambrosius, Hieronymus, Primasius, Sedulius, Anshelmus, Glossa item interlinearis, Lyranus, Thomas, aliiq;*, Sic & *Apoc.* 13, 1. c. 17. 7. 12. designatur *dispositio R. imperii in*

rii in 10. Reges per 10. cornua significatos, & post eam exortus Anti-Christi, in quo conveniunt *plerique Interpretes*; Quæ nota impleta est circa annum 476. teste *Baronio*, ut & *Onuphrio Panvino* in Comment. l. 3. Fast. *dissipato Imperio sub Phoca, ut vix ejus nominis umbra staret, dicente Onuphr.* Quomodo fatetur quoq; Bell. Chron. p. 2. ad annum 476. *Imperium Occidentale in Cæsare Augustulo expirasse. Ap. 17.* mentio fit *quinq; capitum & 10 cornuum deficientium à septicolle Babylone.* quod itidem huic ipsi tempori egregiè convenit. Conf. *Phil. Nicol. de Anti-Christo cap. 16. p. 371.*

(2.) *Locus & sedes.* Quam duplicem proponit Scriptura *Apoc. 17. 9.* docetur, quod *mulier* Anti-Christum figurans, *sessura sit in urbe Româ*, uti patet è *montibus septem*, à quibus Roma *septicollis* dicta est, *è magnitudine & eminentia urbis*; dicitur enim urbs illa magna, quæ *regnum habet super Reges terræ*, ut & *è Babylonis denominatione*, Apoc. 14. 8. c. 18. 2. quam Romã interpretati sunt Veteres nonnulli, fatenturq; ipsimet Pontificii, per Babylonem & meretricem Babylonicam Romam intellectam esse; *Salmero, Lessius, Anglo Romenses, Blasius de Vega, Bell. Ribera* probat eam sententiam autoritate *Victorin. Hieronym. Ambros. Tertulian. Lindani, Francisci Horantii, Sixti Senen. Ludovici Vivis*, ut & *Sybillinis oraculis.* additq; Huic (Romæ) *apertissimè conveniunt omnia, quod dicuntur in hoc libro*; in Comment. Ap. 14. p. 279. Deinde definitur quoq; 2. Thes. 2. sedes Anti-Christi, quod futura sit *in Ecclesiâ*, quæ per *templum DEI* designatur, interprete *Theodoreto, Chrysostomo, Oecum Theophyl. Augustin. Hieron. Ambros. Primas. Anshel. Thoma, Cajetano Suarezio &c.*

[3.] *Regimen & autoritas.* Ubi notatur 1. *Regina*, cujus sponsus est Anti-Christus *Babylon*: scilicet, quæ in *Apocal.* describitur, quod *glorietur de sua sede, regimine, marito continuo, & felicitate perpetua*, interim *mater est spiritualium fornicationũ & abominationum terræ, Apoc. 18. 2. Regia dignitas*, quæ tùm *absolutè* describitur, quod *dominiũ sibi arrogaturus sit*, unde dicitur *sedere*, id est, *regnare, 2. Thess. 2. 4.* (*Conf. Ps. 9. 5. & 29. 10. & 110. 1.*) *& per Regem*

gem designatur, *Dan.* 11. 36. *Apoc.* 13. 12. duæ producuntur bestiæ, quarum altera *Romanum Imperium*, altera *Anti-Christum* notat, & de *hac* posteriori dicitur, quod *exerceat omnem potestatem prioris bestiæ in conspectu ejus*, quod fit, dum *uter gladius affectatur*. Tùm *comparatè*, quod *supra Monarchas sese extollat*, *Dan.* 11. 36. 2. *Thes.* 2. 4. *Conf. decretal. c. solitæ benig. de Majorit. & Obed. & distinct.* 13. *c. Tibi Domino, ut & Pontificale Rom.* nec non *libri Ceremoniarum sacrar. &c.* 3. *Regiminis qualitas*; circa quam exprimitur tùm *administrationis modus*, quod *æmuletur* Anti-Christus *regimen Imperii Rom. Apoc.* 17. *V. Phil. Nicol. de Anti-Christo c.* 12. tum *Modus propagandi*, situs partim in *affectarum suorum ad honores supremos evectione*, qui scilicet *Deum Maozim affirmant Dan.* 11. 39. *& cum Meretrice magna fornicantur Apoc.* 17. 2. partim. *in crudeli eorum persecutione*, qui alieni sunt à Regno ipsius per bella, mactationes, vivi comburia &c. *Apoc.* 9. 11. *c.* 13. 15. *c.* 17. 6. Conf. *Sander. l.* 8. Monarch. demonstrat. 34. Quibus etiam interdicitur *negotio* in terris Anti-Christi *Apoc.* 13. 17. Vid. *Bulla Cœnæ Domin. &* confer. *Interpp. de receptatoribus hæreticor.* 4. *Regni amplitudo*, cujus respectu *Apoc.* 12. 1. *meretrix* dicitur *sedere super aquas multas*, *quæ sunt populi, gentes, & linguæ. &c.*

(4.) *Religio.* Ut enim *Regnum* ejus *spirituale est*, quod *in religione* consistit, ita describitur ejus religio (1.) γενικῶς quod *Christo adversa sit*; inde enim vocatur ἀντίχριστος & ὁ ἀντικείμενος, inde ἀποστασία mentio fit, 2. *Thes.* 2. 3. 4. *doctrina ejus mendax & falsa v.* 10. *indigitatur*, Dicitur *mirabilia loqui adversus DEUM Deorum*, *Dan.* 11. 36. & (2) εἰδικῶς, tùm *quà doctrinam*, quod *autoritatem suam proponat Anti-Christus ceu infallibilem, atq; omni exceptione superiorem*; commenta sua pro articulis fidei & cultus divini: quodq; *matrimonium prohibeat. Dan.* 11. 36, 1. *Tim.* 4. 2, *certis cibis interdicat v.* 3. *&c.* tùm *quà cultum*, quod *Deum verum non reputet. Dan.* 11. 32. *novum cultum instituat*, *Deum Maozim veneretur*, & *Deum, quem ignorant Patres, auro & argento colat. &c.* Tùm *quà modum docendi*, qui insinuatur per *mysterium iniquitatis*, *impostura*m, & *miracula falsa* 2. *Thes.* 2. cò quod *arcana ratione* indu-

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0238
Mecklenburg Vorpommern

inducendus Anti-Christianismus cum *hæresium veterum incrustatione, varia deceptione, falsorumq; miraculorum jactatione.* Apoc. 13. 13. Vid. *Daniel Chamier Panstratia Cathol.* Tom. 2. l. 11. c. 9. & 14.

(5) *Status.* Cùm describatur Anti-Christus ut *Rex*, & porrò Regimen ejꝰ in *religione* situm sit, idcircò statum ejꝰ mixtum fore facilè colligitur, nimirum *Ecclesiastico-Politicum*, id quod secundum quosdam mysticè innuitur *Apoc.* 9. per *stellam cœlo delapsam, quæ puteum abyssi clave sibi data aperuit. Stella enim Episcopalem dignitatem* notat *Apoc.* 1. 20. *Lapsus Stellæ* clavigeræ *de cœlo* in terram est *aversio Episcopi illius à curâ rerum cœlestium, ad studium rerum terrenarum*, quod sese immisceat terrenis negotiis, Abyssꝰ notat *tractatuum, judiciorum, legum & traditionum profunditatem, novumq; spiritualium quorundam jurium corpus. Clavis* verò *Abyssi est plena Abyssi potestas*, quam sibi vendicat, unde etiam *Rex Abyssi* vocatur. &c. Conf. *Phil. Nicol.* c. 7. Quorsum facit *arrogatio potestatis supremæ*, cum in *Ecclesia*, tùm in *Politia*: quo nomine dicitur ὁ ἀντικείμενος ὑπὲρ πᾶν σέβασμα 2. *Thes.* 2. 4. Conf. *Daniel.* 11. 36. 37. Dicitur etiam *sedere*, id est, *regnare in Ecclesia*, quod hoc quoque sensu admittit *Greg. de Valent.* Tom. 4. colum. 2380. quod *sessurus sit Anti-Christus in Ecclesiis Christianis præ superbia* eoque pacto *exponere Chrysost. Theodor. & Theoph.* fatetur Confer. *cap. unam sanctam extrà de majorit: & obed.*

(6) *Vita*, cujus notatur tum *perversitas*, dum *homo peccati* indigitatur. 2. *Thes.* 2. 3. quod non ipse solum peccet; sed alios etiam peccare faciat, & ad peccandum inducat. Vid. Dn. D. Gerhard. Vol. 1. disp. 3. de stud. pietat. per Pontif. labefact. ut & *Wilhelm. Nigrin. de implet: legis p. 448. &c.* tùm *crudelitas*, quæ *Apoc.* 17. 6. ut secundum quosdam *cap.* 12. describitur: ubi *mulier pariens Ecclesia* est secundum *Methodium, Andream, Primas. Draco est Anti-Christus*, qui pariter c. 17. depingitur, *quod habeat 7. capita & 10. cornua*; Confer. etiam *Apoc.*

l. 2. &c. 13. 15. & seq. de crudelitate Anti-Christi, ubi cumprimis notandum decretum, impunè invadendi eos, qui Anti-Christi characterem non habent. Vid. *Cham.* Tom. 2. l. 16. c. 15. tùm *luxus*, qui describitur *Apoc. 17. 4.* cum *divitiis Anti-christi, per purpuram, aurum, & lapides pretiosos &c.* Confer. *libr. 1. Cerem. c. 12. & Chamier l. cit. c. 17.*

(7) *Character & nomen Anti-Christi*, de quò *Apoc. 13. 16. 17. 18.* Comment. p. 263, laudat *Irenæũ* l. 5. c. 29. affirmantẽ *valde verisimile sibi videri, designari nomen* λατεῖνον, *quod hoc numero 666. constet: quoniam verissimum*, inquit, *regnum hoc habet; Latini enim sunt, qui nunc regnant. Omnium autem probabilissimum esse* τειτάν. *quod sol ità vocetur à Romanis.* De priori nomine *Thyræus* disp. de Anti. c. 3. th. 3. ait. *Nolo negare vocem* λατεῖνον *in Romanam sedem cadere non posse*: de altero (*solis*) nomine vide *Innocent. III. Decret. Greg. tit. 33. de majorit. & obed. cap. solitæ.*

[8] *Revelatio*: ad quam referimus *turbationem* ejusdem *per famam ob Orientę & Occidente* prædictam *Dan. 11. 44. & interfectionem Spiritu oris Christi*, seu virtute verbi factam *2. Thes. 2. 8.* ubi observanda *Alcasar.* confessio, in Apoc. p. 674. *Paulum non agere de propria atq; personali Anti-Christi nece, sed tantùm tendere, Christi assertoris nostri doctrinam ac fidem Antichristo ipso multò superiorem extituram.* Quæ interfectio *à totali Anti-christi excidio* aperte distinguitur à Spiritu S. 2. *Thess.* 2, 8. quod sequetur demum *in adventu christi novissimo. Atq; hæ sunt notæ genuinæ Anti-Christi*, quas si omnes in ueamur, ipso sole meridiano clarius eluceſcet, non designari *personam aliquam individuam pauculis annis regnaturam, & ad finem mundi demum venturam, sed individuum aliquod*, ut ita appellitem, *successivum, ejusdem status & conditionis*, adeoque *pluribus* hasce notas convenire *sibi in eadem sede succedentibus.* Quod *applicatione* singularum notarum è complemento:

mento, & historicæ veritatis collatione uberius confirmari posset, si pagellarum angustia permitteret. Quæ apud alios, qui ex professo de *Anti-Christo* contrà *Pontificios* scripserunt, videri poterit: *Georg. Nigrin. Ægid. Hunn. Heilbrun. Myl. D. Nicol. Hunn. Zamann. Thumm. D. Hoe, Danhaverum, & è Reformatis Dancum. Sibr. Lubert. Witaker. Junium, Maresium. &c.* Si dicant Pontificii, *ita non unum fore Anti-Christum, sed plures*, R. nō plura, sed *unum* tantum *caput Ecclesiæ* ab ipsis constitui, tametsi è pluribus sibi succedentibus quemvis pro Ecclesiæ agnoscant capite. Eadem hic ratio. Tam enim unus est Anti-Christus, nostrâ sententiâ, quam illis *unum est Ecclesiæ caput, unus sponsus*, etiamsi hæc officia non sustineat *unus individuus Papa*, sed *per successionem reperiantur in pluribus Individuis.*

[9] *Ab adversariorum Confessione. Nicolaus II. Pontif. c. in nomine distinct. 23. Anti-Christum* censendum esse definivit, qui per *simoniam* aut præterito reliqui, [præter Cardinal.] *Cleri & populi consensu* in Rom. Pontificem electus fuerit, *Greg. M. Episcopus Romanus* l. 6. Epist. 30. *Ego fidenter dico, quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Anti-Christum præcurrit. De Gregor. VII Hildebrando* scribit *Aventinus*, L. V. Annal p. 352. *plerosq. tum ipsum dixisse Anti-Christum in templo Dei sedentem*, & p. 363. *plerosq. omnes bonos, justos, apertos, ingenuos, simplices, tùm Antì-Christi imperium cepisse* professos esse, L. VII. p. 420. *Eberhardum Archiepiscopum Salisburg. in Concilio Reginoburg. coram Imperator. & Princip. docuisse, Hildebrandum specie religionis Anti-Christi imperii fundamenta jecisse, Fridr. II. Imper.* literis publicis ad stat. Imper. datis scripsisse. *Pontifices Rom affectare denominationem & divinitatem, nempe ut ab omnibus haud aliter, imò magis, quàm Deus timeantur: multos inesse illis Romanensibus Anti-Christos &c. perhibet Aventin.* l. c. p. 416. *Episcopum Florentin.* circa annum 1110. affirmasse, *Anti-Christum*

natum refert, *Platina* in vit. Pashal. II. *Waldensium*, (*Pauper de Lugduno*) *Joachim. Abbatis*, *Wilhelm Aurificis*, *Gerard. Sagarelli*, *Dulcini Novariensis*, *Petri Johannis Biranensis*, *Wiclephi*, & *Joh. Hussi* suffragia nobis largitur *Jodoc. Coccius* Tom. 1. Thesaur. l. 7. art. 17. *Bellarminus Dantis Aligerii*, append. ad libr. de Pontif. c. 15. consensum largitur. *Nic. Archi-Episc. Thessal.* circà ann. 1320 probavit, *Anti-Christum jam olim in Ecclesiâ Dei natum esse*: *Jac. Misnensis* Ann. 1366. scripsit, *M. Anti-Christum jam venisse, quod & Matth. Parisiensis* circa Ann. 1380. docuit, Vid. *Catal. test. Verit. l. 18. Nicol. de Clemang.* Ann. 1417. in descript. Anti-Christi p. 359. *Anti-Christum non modo natum, sed adultum & provectum, & dudum regnantem affirmavit.* Plura vid. apud *D. Simon Schardium Camer. Imper. Assess. in lect. memorabil. Wolff. Centur. Magdeburg. Catalog. Test. Verit. &c.*

Tantum!

Soli DEO Gloria!

I. N. J.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0242
Mecklenburg Vorpommern

I. N. J.

SYLLABUS SECTIONUM
ET QUÆSTIONUM

Sectio Prima de Regula Credendi pag. 1.

Quæst. I. An præter Verbum DEI scriptum detur quoddam verbum Dei non scriptum, pari pietatis affectu suscipiendum? p. 1.

Quæst. II. An Scripturæ Sacræ authoritas, respectu nostri, ut agnoscatur & recipiatur ceu divina, dependeat ab Ecclesiæ testificatione sive unicè, vel etiam saltem præcipuè? p. 3.

Quæst. III. An libri omnes in vulgatâ latinâ Biblicâ Vet. Test. contenti sint Canonici? p. 5.

Quæst. IV. An vulgata versio latina sit Authentica? p. 7.

Quæst. V. Anne Textus Ebræus in V. & Græcus in N. T. ita corruptus sit, ut amplius haberi nequeat pro authentico? p. 11.

Quæst. VI. Utrum Scriptura Sacra perspicua sit in his, quæ cognitu necessaria ad salutem sunt, ut ab omnibus debito modo eam scrutantibus intelligi possit? p. 13.

Quæst. VII. An Scriptura Sacra perfectè contineat omnia, sivè credenda, sive agenda cognitu necessaria ad fidem, & vitam Christianam? p. 16.

Quæst. IIX. An Scriptura Sacra sit Norma controversiarum fidei & religionis omnium adæquata? p. 18.

Quæst. IX. An Pontifex Romanus in decidendis controversiis religionis supremus sit in Ecclesiâ Iudex, isqve infallibilis? p. 20.

Quæst. X. An Romanus Pontifex Jurisdictionem verè coactivam habeat, ita ut leges possit condere obligantes in conscientia? p. 23.

Quæst. XI. Utrum caput aliquod visibile constitutum sit Ecclesiæ totius, ceu vicarius Christi Oecumenicus? p. 25.

Quæst. XII. An Petrus fuerit totius Ecclesiæ caput & princeps, loco Christi ab ipso Christo constitutus? p. 26.

Quæst. XIII. Utrum Petrus Episcopus Romanus fuerit, eundemque Episcopatum nunquam mutârit, sed per 21. annos administrarit? p. 29.

Quæst. XIV. An Episcopus Romanus S. Petro succedat & in Romano Episcopatu, & in universæ Ecclesiæ principatu? p. 32.

SECT.

Sectio II.

De Justitiâ Christianâ pag. 37.

Quæst. I. An justitia originalis & immortalitas in primo homine donum fuerit mere supernaturale, & extrinsecum, an verò interna, & concreata hominis perfectio? p. 37.

Quæst. II. An concupiscentia prava in homine ante lapsum locum habuit? p. 40.

Quæst. III. Utrum peccatum originis mera sit privatio doni supernaturalis, an vero corruptionem habitualem importet? p. 41.

Quæst. IV. An peccatum Originis sit veri nominis peccatũ? p. 41.

Quæst. V. An Maria, Mater Domini, in peccato Originali concepta eidemque obnoxia fuerit? p. 45.

Quæst. VI. An homo post lapsum in spiritualibus habeat liberum arbitrium, quod à Deo excitatum cooperetur assentiendo, se disponat ad justificationis gratiam? p. 48.

Quæst. VII. An gratia, quâ justificamur, sit tantum favor Dei p. 52.

Quæst. IIX. An justificatio nostra consistat in expulsione peccatorum, & infusione justiæ, an verò in peccatorum remissione & imputatione justitiæ Christi? p. 54.

Quæst. IX. Utrum solâ fide justificemur, nec ne? p. 60.

Quæst. X. Utrum fides solum assensus sit, num verò etiam notitiam inferat? p. 64.

Quæst. XI. An fides justificãs sit fiducia divinæ misericordiæ? p. 66.

Quæst. XII. An fidei Justificantis objectum sit specialis Dei misericordia? p. 67.

Quæst. XIII. An fides justificans possit existere separata à charitate? p. 69.

Quæst. XIV. Utrum fides justificet dispositive, & num formalitèr per modum habitus justificet? p. 73.

Quæst. XV. Utrum fides in se otiosa & inofficax sit, omnemque vim justificandi à charitate consequatur? p. 77.

Quæst. XVI. An verè fideles possint debeatque certi esse de remissione peccatorum & gratiâ Dei? p. 79.

Quæst. XVII. An homo justificatus legem Dei perfectè implere possit? p. 82.

Quæst. XVIII. An Christus datus sit ut legislator, & num legis quasdam novas tulerit? p. 85.

quæst.

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0244
Mecklenburg Vorpommern

Quæst. XIX. An Evangelium propriè acceptum leges contineat? p. 86.
Quæst. XX. Utrum Christus & Apostoli consilia quædam perfectionis tradiderint? p. 87.
Quæst. XXI. Utrum Electio ad salutem æternam ex prævisis hominum meritis facta sit, nec ne? p. 91.
Quæst. XXII. An bona opera justorum verè ac propriè meritoria sint vitæ æternæ? p. 94.

SECTIO III.

De Sacramentis tum Veris, tum ψευδωνύμως ita nuncupatis

Quæst. I. An Sacramenta N. T. gratiam conferant ex opere operato? p. 100.
Quæst II. Utrum Sacramenta Veri nominis in N. T. duo tantum sint, Baptismus & S. Eucharistia, an verò Septem? p. 104.
Quæst. III. Utrum Baptismus omnibus omninò ad salutem simpliciter necessarius sit, nec ne? p. 107.
Quæst. IV. An Infantes baptizati fidem propriam actualem habeant? p. 110.
Quæst. V. Utrum in Sacra Eucharistiâ Transsubstantiatio fiat panis, & vini in corpus & sanguinem Christi? p. 112.
Quæst. VI. Utrum panis consecratus extrà usum à Christo institutum vere & simpliciter sit Sacramentum, prout asservatur in pyxide? p. 119.
Quæst. VII. Utrum Laicis solum panis, an verò etiam Calix Eucharisticus dispensandus sit? p. 125.
Quæst. IIX. An Confirmatio verè & propriè sit sacramentum? p. 127.
Quæst. IX. An pœnitentia verè & proprie sit sacramentum? p. 130.
Quæst. X. Utrum Pœnitentiæ partes sint Contritio & fides, an verò Contritio cordis, Confessio oris, & satisfactio operis? p. 133.
Quæst. XI. Utrum necessaria sit confessio coram sacerdote omnium & singulorum peccatorum? p. 138.
Quæst. XII. Utrum post remissam culpam remaneat quandoque pœnæ temporalis reatus? p. 141.
Quæst. XIII. Utrum pœnitentes Deo satisfaciant, pœnasque per bona opera redimant? p. 144.

quæst.

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0245
Mecklenburg Vorpommern

Quæst. XIV. Utrum quædam defunctorum animæ post discessum ex hâc vitâ in purgatorio existant? p. 149.
Quæst. XV. An potestas conferendi indulgentias Ecclesiæ concessa sit? p. 153.
Quæst. XVI. An extrema unctio verè ac propriè sacramentum sit? p. 157.
Quæst. XVII. Utrum Ordo verè ac propriè sacramentum sit? p. 160.
Quæst. XIIX. An Episcopi jure divino superiores sint Presbyteris? p. 162.
Quæst. XIX. An Clerici possint contrahere Matrimonium, & an contractum eorum matrimonium validum sit? p. 165.
Quæst. XX. An matrimonium verè ac proprièque Sacramentum sit? p. 169.

Sectio IV. & Ultima.

De Publico DEI Cultu & Ecclesiâ.

Quæst. I. Utrum in Missâ offeratur verum & proprium Deo sacrificium? p. 172.
Quæst. II. An Missa sacrificium sit propitiatorium? p. 181.
Quæst. III. An pro defunctis in Christo ritè offeratur Missa? p. 184.
Quæst. IV. Utrum sancti defuncti religiosè sint invocandi? p. 85.
Quæst. V. Utrum Sanctorum reliquiæ religioso cultu sint prosequendæ? p. 191.
Quæst. VI. An sanctorum Imagines religioso cultu prosequendæ sint? p. 194.
Quæst. VII. An loca reliquiis, imaginibus, vel memoriis Sanctorum illustria, singularis pietatis & cultus, vel etiam pœnitentiæ, & satisfactionis causâ peregrinationibus frequentanda sint? p. 198.
Quæst. IIX. Utrum Ecclesia sit cœtus hominum ita visibilis & palpabilis, ut est cætus populi Romani vel Regni Galliæ: p. 200.
Quæst. IX. Utrum Ecclesia ita reddi possit inconspicua, ut nullo gaudeat publico religionis exercitio? p. 204.
Quæst. X. Utrum aliæ præter Verbum Dei & Sacramenta notæ sint Ecclesiæ indubiæ? p. 106.
Quæst. XI. Utrum Anti-Christus in Scripturis prædictus sit singularis quidam homo, circâ finem mundi demum venturus? p. 111.

FINIS.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0246
Mecklenburg Vorpommern

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1027492746/phys_0248
Mecklenburg
Vorpommern

Quæst. XIX. An Evangelium propriè acceptum leges contineat? p. 86.
Quæst. XX. Utrum Christus & Apostoli consilia quædam perfectionis tradiderint? p. 87.
Quæst. XXI. Utrum Electio ad salutem æternam ex prævisis h
minum meritis facta sit, nec ne? p. 91.
Quæst. XXII. An bona opera justorum verè ac propriè m
sint vitæ æternæ? p. 94.

SECTIO III.

De Sacramentis tum Veris, tum ψευδ
nuncupatis

Quæst. I. An Sacramenta N. T. gratiam con pe-
rato? p. 100.
Quæst. II. Utrum Sacramenta Veri nomi antum
sint, Baptismus & S. Eucharistia, a p. 104.
Quæst. III. Utrum Baptismus omnib lutem sim-
pliciter necessarius sit
Quæst. IV. An Infantes baptiza n actualem ha-
bea
Quæst. V. Utrum in Sacra E ubstantiatio fiat pa-
nis, & vini in corp Christi? p. 112.
Quæst. VI. Utrum panis á usum à Christo institu-
tum vere & simpl entum, prout asserva-
p. 119.
Quæst. VII. Utru panis, an verò etiam Calix Eu-
lsandus sit? p. 125.
Quæst. VIII. A erè & propriè sit sacramentum? p. 127.
Quæst. IX erè & proprie sit sacramentum? p. 130.
Quæst. X ntiæ partes sint Contritio & fides, an ve-
rò C onfessio oris, & satisfactio operis? p. 133.
Qu ecessaria sit confessio coram sacerdote omni-
um singulorum peccatorum? p. 138.
Num post remissam culpam remaneat quandoque
pœnæ temporalis reatus? p. 141.
Utrum pœnitentes Deo satisfaciant, pœnasque per
bona opera redimant? p. 144.

quæst.

UB Rostock 051400
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 304
Patch Reference numbers on UTT
the scale towards document
Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1027492746/phys_0253
Mecklenburg Vorpommern